



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

Meditationes Pro Festis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

# MEDITATIONES PRO FESTIS.

MEDITATIO CCCLXXVIII.

In Dedicatione Templi.

*De Beneficijs collatis in totam Eccle-  
siam.*

**A**spiciam Dominum in Ecclesiam mili-  
tantem, innumera è caelo dona pluen-  
tem. - Petam ea gratus agnoscere.

*Conf. 1.* Quòd Ecclesiam Catholicam  
Deus in domum elegerit, & extra eam nulli,  
aut notitiam plenam, sicut oportet, virtu-  
tum supernaturalium, aut media ad bene  
vivendum, aut aditum ad salutem æternam  
concedat.

2. Ecclesiæ Principem aut Caput voluit  
esse Christum, qui etiam ei sensum, id est,  
cognitionem veritatis, & motum charitatis,  
virtutum ac meritorum, & omnem pulchri-  
tudinem elargitur.

3. Spiritum & Animum ei dedit, Spiri-  
tum sanctum, à quo vivificamur, compagi-  
namur, & unius corporis mēbra cōtinemur.

4. Confert in eam doctrinam veritatis,  
quã cognoscant homines Deum, seipos, coe-  
lestia, terrestria, præterita, præsentia & futura  
sine

ES sine admixtione erroris, & super hanc doctrinam in omni virtute proficiant.

II. 5. Legem Evangelicam purissimam & sanctissimam in omnibus Præceptis & Consilijs, quæ omnem virtutem præscribit, nullam imperfectionem admittit.

6. Gratiam, & abundantissima auxilia ad custodiendum hanc legem tribuit.

7. Sacramenta excellentissima, per quæ gratiæ auxilia ad omnem necessitatem in vita & morte consequimur, & sanctissimum Sacrificium, quo non aliud Deo, quàm Filij eius corpus offertur.

8. Efficaciam orationum: Nam magna petit & obtinet Ecclesia ob Capitis merita, sentitque sibi Numen adesse in prosperis & adversis.

9. Miram pulchritudinem ex varietate, proportione & ordine statuum, & officiorum Ecclesiasticorum, quæ ejus conservatiõni deseruit.

10. Perpetuitatem, quâ ab initio mundi incipiens usque ad finem permanebit, & portæ inferi non prævalebunt, post diem judicij translata in cœlum ad dexteram sui sponsi sedebit, interea militantibus in Evangelistia *Tabernaculum est Corpus Chri.*

*si, ut ait D. Chrysostr.*  
in Psal. 18.

MEDI-

MEDITATIO CCCLXXIX.  
 Die Anniversario Vocationis.  
 ad sequenda consilia Christi.

**V**idebo me à seculo quasi prodigum evocatum, & seorsim priorem statum cum hoc novo conferentem; vel si evocatus sum, antequam malitia intellectum pervertit, velut in portu, quæ naufragia evasi, contemplanor Deo gratus.

*Conf. 1.* Calamitates seculi, cuius filij expositi inter viles mundi sectatores, sub densa erudientium cæcitate, & ignorantia aggressi, virtute nudi, præsidijs ad bonum destituti, quomodo à sevientium passionum intemperantia, curarum spinis, cœno libidinis, tyrannide ambitionis, infamia ignavia, incendio odiorum, tempestatibus irarum, tenebris malitiæ, carcere impietatis proscripti, egentes, spoliati, concisi, & semivivi degunt. Gratias agam Deo, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Psal. 114.

*Conf. 2.* Fidelitatem statûs Religiosi, utpote, quòd sit plenus aureæ libertatis, à servitute peccati, & passionum erutus; plenus medijs ad obtinendum finem beatum; plenus tranquillitatis placidissimæ: ubi enim virtus, ibi pax est rationis cum appetitu; plenus meriti divitiarumq; coelestium; plenus

*De Conversione S. Pauli.* 673

us iustitiã & sanctitate, quia præceptis ad-  
dit observationem consiliorum Christi; ple-  
nus filiatione Dei; plenus consortio divi-  
nitatis: quid retribuam Domino pro omni-  
bus, &c.

*Conf. 3.* Quas gratias reddam Christo  
B. Virg. Sapientiæ divinæ, Misericordiæ Dei,  
Providentiæ æternæ, Angelo Custodi, San-  
cto Patriarchæ ordinis mei pro tanto benefi-  
cio. Et quia *SS. Eucharistia est cæna lucis*, ut  
ait Isichius hom. 2. de B. Virg. Petam ibidem  
doceri gratitudinem, & meliorem usum  
talenti vocationis.

*I A N U A R I U S.*

*MEDITATIO CCCLXXX.*

*De Conversione sancti Pauli.*

Videbo Paulum, Actor. 9. ad omnia Deo  
se offerentem. Petam eum in conversio-  
ne imitari.

*Conf. 1.* Paulum, ut de se ait abortivum,  
vel quia duodenario Apostolorum additus.  
Vel quia abortivi nocent Matri, ut ille Eccle-  
siæ: vel quòd natus extra tempus existente  
Christo jam in cœlis: vel quòd ante tempus  
vi, fulmine humi prostratus in momento  
conceptus, natusque, eoque pervenit, quò  
ille Idiota apud D. Gertrudem lib 5. cap. 5.  
Qui rogatus, quomodo tam multa sciret,  
verbis D. Aug. respondit: *Deus semel inspexisse,*  
*est omnia didicisse.* *Conf.*

674 *De Conversione S. Pauli.*

*Conf. 2. Verba D. Pauli: Domine, quid me vis facere? In quibus lira est omnis nostra salus. Quia nihil melius excogitari potest, quam sit conformitas humanæ voluntatis cum divina, omnis veri, bonique regula. Ipsa occidit, quod fuimus, ut simus, quod non eramus. Inquit D. Augustin. Psal. 121.*

*Conf. . Comparari hanc conformitatem.*  
1. *Cognitione divinæ voluntatis ex præceptis, consilijs, inspirationibus, & permissione.*  
2. *Per velle id, quod Deus vult, nolle, quod non vult.* 3. *Per emolumentorum incitamenta, quæ sunt pax & gaudium resignatorum in divinam voluntatem: singulares Dei ductus in omnibus: singularis animi demissio & constantia: felix, & suæ, & alienæ salutis procuratio: fastigium & culmen Christianæ perfectionis.* 4. *Per impedimentorum remotionem, quæ sunt propria voluntas & amor sui.* 5. *Per admota adjumenta, quæ sunt divinæ Providentiæ cognitio, constans in Deū fiducia, & amor artifex horum omnium. Quem, ut obtineam, accedam ad SS. Evcharistiam, juxta illud D. Greg. hom. 21. in Evāg. Cibum vitæ frangite, ut eum amare valeatis.*

*FEBRUARIUS.*

*MEDITATIO CCCLXXI.*

*De Purificatione B. M. Virginis.*

*Quomodo me DEO in holocaustum offerre possim.* *Aspi.*

De Purificatione B. Virg. 675

**A**spiciam D. Virginem offerentem Patri  
Filium. Petam eam imitari.

*Conf. 1.* Quomodo B. Virgo se spoliaverit  
multò charissimâ, quando Patri æterno,  
filium religiosissime in holocaustum sacri-  
ficavit magis, quàm Abraham Isaacum.

*Conf. 2.* Quòd id fecerit, ut legi satisfacere  
non tenebatur (sicut revera  
non tenebatur, quia non concepit nisi divi-  
ne) tamen id facere decuit honori supremæ  
majestatis divinæ.

*Conf. 3.* Quâ ratione me in holocausto  
Deo offeram, ut nihil mei non oblatum re-  
linquam, exemplo Christi & B. Virg. 1. Statuâ  
omnem ignaviam & pusillanimitatem in via  
perfectionis abijcere, & animum virilem in-  
terere, gratiâque ad id postulare. 2. Omnem  
immunditiam cordis & operis abijcere. 3. In-  
tegrum me offerre, nimirum, ut omnia man-  
data & statuta servem & Domini instinctibus  
respondeam. 4. Ut pro beneficijs Dei gratus  
omnia cum amore & propter amorem Dei  
præstem. 5. Hæc propter solam & puram Dei  
gloriam ut agam, habendo semper præ ocu-  
lis Dominum Jesum cum B. Virgine, præser-  
tim in sumptione SS. Euchar. de qua ait D.  
Thomas opus 52. c. 26. *Corpus Christi bonum  
& pulchrum est, quia bonam & pulchram facit  
honestatem morum.* Alludens ad illud Zach. c.

676 De BB. Ioanne, Paulo, & Iacobo.

9 Bonum & pulchrū eius frumentū electorum Ve  
quidquid boni pulchriq; habeo, Deo offerā.

MEDITATIO CCCLXXXII.

D. BB. Ioanne, Paulo, & Iacobo,  
Martyr. Iapon. Soc. IHSV.

De Cruce.

**A**spiciam SS. Martyres corpore cruci affi-  
xos, corde lanceis per crucem transver-  
beratos, animo cœlis ipsis superiores. Petam  
eos imitatione assequi.

*Conf. 1. Crux est vita virtutisq; propositum.*  
Ita D. August ser 32. de SS. Tollit crucem suam  
qui fert quidquid molestum. Ait idem serm. 47.

*Conf. 2. Incitamenta ad eam. 1. gaudium*  
sequitur mensuram boni, bonum præcipuū  
est honor & gloria, sed Apostolus gloriatur in  
cruce, ad Galat. 6. Magnum igitur bonum est  
cruce, magnūque gaudium est eam ferenti.

2. Qui odit pati aut dissuadet, sathan appel-  
latur. Matt. 16. Quis autem nolit potius ca-  
lumnias pati à sathana, quàm fieri sathan?

3. D. Aug. l 13. de Civit. c. 5. ait: Omnes homi-  
nes beati esse volunt, idq; unum ardentissimo  
more appetunt Sed 1. Petri 4. Si quid patiamini  
propter iustitiam beati Beati pauperes, beati qui  
esuriunt Matth. 5. Beatus homo qui corripitur  
à Deo. Iacob. 1. Inde sequitur illud Iobi: Inre-  
pationem ergo Domini ne reprobet. Addit D.

Chry.



*Martyrib. Iapon. Soc. Iesu. 677*

Chrysoſtom. ſicut corpus dicimus beatum  
quod poteſt ſine ſui offenſione ferre frigus,  
calores, inopiam, &c. Sic beata eſt anima, que  
viriliter fert, quidquid moleſtum acciderit.  
Iſta ille Hom. 1. ad pop. & 6.

*Conf. 3.* Crucis varietatem; eſt publica  
in bello; privata cuiuſque; mala nocenti, ſed  
piè toleranti bona ob cauſam bonam, men-  
te bonâ, gratiâque divinitus datâ, tolerata.  
A Deo, a dæmone, ſi mortuus eſt diabolus, mor-  
tui ſunt perſecutores, ait S. Auguſtin. in Pf. 117.  
Ab homine. Conculcavit me homo. Pfal. 55.  
A ſe ipſo, infelix ego in corpore, in anima.  
Eſt crux, quæ me invenit; eſt crux inventa,  
dolorem inveni. Haſ omnes bene fert, quæ  
patienter, hilariter, conſtanter, gratè tulerit.  
Sic fecerunt hodierni martyres. Crux me-  
lior eſt parata a Deo, quàm ſponte electa.  
Ipla eſt lignum vitæ, & ut ait Richardus à  
S. Laurentio de Laud. B. Virg. cap. 12. *Li-  
gnum vitæ Chriſtus Dominus, qui viventes  
efficit Sacramenti ſui participatione.*

**MEDITATIO CCCLXXXIII.**

**De S. Matthia.**

*Perimus, quia volumus.*

**V**idebo, quomodo in arcano Dei conſilio  
æterno lata ſit ſententia de unoquoque,  
ſed præviſo ſine vitæ promulganda mi hi, &

**FF 3 omni**

omnibus, nec mutabilis, & quidem, si à morte deprehendar in crimine fatali, quia verò crimen voluntarium fuit, perditio erit ex me. Petam agnoscere, quanta habeam à Deo auxilia salutis, & ijs cooperari.

*Conf. 1.* Quanta Deus beneficia conferat peccatori. 1. Patientissimè eum sustinet, & ad multa ejus flagitia multis annis silet. 2. Benignissimè vocat peccatores, Concionibus, exemplis Bonorum, inspirationibus, terroribus, prosperis & adversis, si revertantur misericordissimè admittit. 3. Si iterum vel milles à se per peccatum fugiant, millies vocat, nunquam redeunt, quin admittantur, nec unquam expelluntur. 4. Dat illis omnia necessaria auxilia, ut convertantur, & salvi fiant. 5. Si aliquid boni faciunt, non despicit, non contemnit, sed ex eo occasionem invitandi, & convertendi eos sumit. 6. Temporalia illis non negat, imò sæpe honoribus, divitijs & voluptatibus eos cumulat. 7. Post vitam vitiosè actam multos eorum in morte salvat, & efficacissimis auxilijs è laqueis diaboli educit. Verum itaque est illud S. August. Epist. 105. *Quibus Deus misericordiam non impertit, ne impertiatur, merentur.*

*Conf. 2.* Visa tanta hominis ingratitude quàm justè malos puniat Deus; odit enim omne vitium, & amat virtutem, nullamve

sine

sine premio relinquit, sicut nullum malum impunitum, cum furore & iudicio culpam & poenam aequitate metiens, ut quantum quis in delicijs fuit, tantum recipiat tormenti, & quae mali converterunt ad iniquitatum instrumentum, Deus convertit ad poenae cumulum. Corpore deliquerunt, corpore comburentur: Intellectum ad temporalia converterunt, intellectu & conscientiam accusabuntur, tempus in peccato consumpserunt, in aeternum punientur. Adeoque efficit, ut iustitiae suae serviant ad poenam, qui voluerunt subesse ad culpam, ex me igitur erit perditio mea. Cum ea sint dona Dei, quae docent ingenitam regiam, imo divinam liberalitatem, ego vero pro ingenita mihi rusticitate, haec aliter non suscipio, quam sicut decet vilissimum depravatores. Deprecabor Deum meum Eucharisticum, **JESUM** carbonem ignitum, ut det gratiam gratitudinis pleniorum, praesertim, cum dignitas immaculati corporis ejus mereatur, ut praesentes ad gratiam redeant, etsi damnandi sint. Ita dixit S. Gertrudi lib. 3. cap. 9.

*MARTIVS.*

*MEDITATIO CCCLXXXIV.*

*De S. Josepho.*

*De facili ad summam sanctitatem via.*

*FE 4*

*Aspi-*

a mor-  
ia vero  
erit ex  
a Deo  
  
onferat  
et, & ad  
2. Be-  
onibus,  
errori-  
tur mi-  
vel mil-  
vocat,  
ur, nec  
nia ne-  
& salvi  
despi-  
em in-  
Tem-  
oribus,  
7. Post  
morte  
is dia-  
ugust.  
am nov  
  
udine  
enim  
lamve  
sue

**A**spiciam D. Iosephum, omnis sanctitatis exemplar, & semitam compendiosam cæli. Petam ejus fieri discipulus.

*Conf. 1.* Perfecta justitia seu sanctitas est omni scelere libera perfectaque, & penitus in-  
inquinata munditia, ita D. Dionys. Areopagit. lib. de divin. nom. cap. 12. de S. Ioseph. est in historia oriental. apud Grat. lib. 3. Vitæ S. Ioseph. *Ioseph Pater meus* (inquit Christus Dominus) erat in extremo gradu justus: quia in omnibus actionibus suis quarebat solummodo honorem & gloriam Dei, unde patet D. Iosephum fuisse plenum sanctitate.

*Conf. 2.* Illam causalem, propter quam D. Iosephus fuit in extremo gradu justus, quia in omnibus actionibus suis, quarebat solummodo honorem & gloriam Dei. Quomodo eam quæsierit, revelavit Dominus S. Brig. lib. 6. cap. 59. Quod semper solitus sit dicere, *utinam vivam, & videam adimpletam voluntatem Dei.* Addit Dominus per B. Virginem loquens B. Brigittæ. *Totum desiderium ejus fuit obedire voluntati DEI: ideo nunc gloria ejus magna.*

*Conf. 3.* Hac via sanctam Gertrudem ascendisse ad ineffabilem sanctitatem, de qua Filius DEI initio vitæ ita loquitur: cum nemo hodie vivat, qui per puram intentionem, bonamque voluntatem, & veram fidelitatem,

*mibi*

nibi vicinior atque conjunctior sit, quam illa, ego quoque ad nullam animam in carne degentem majori favore inclinor, quam ad animam illius. Gratias agam Deo, quod in Religione mea hæc sit tessera: Omnia ad majorem Dei gloriam. An verò in omnibus solummodo gloriam Dei quæram, ex D. Bernard. conijciam ex 3. classe servorum Dei: Primus (inquit ille in Pl. 270.) Servus est, & timet sibi: Secundus, Mercenarius est, & cupidus sibi: Tertius Filius est, & defert Patri. Petam beneficio sacratissimæ Eucharistiæ ad hunc gradum admitti. Ut sicut per vitrum viride omnia viridia, sic per Christum D omnia nō tantum apparenter, sed deificatè faciam.

MEDITATIO CCCLXXXV.

De S. Ioachimo.

De fructu capiendo etiam ex malis.

Cons. 1. Quod S. Matthæus inter Magistros Christi meminerit vitiosarum, Thamar, Bersabeæ, Rahab Chananeæ, & Ruth gentilis: Causam dant SS. Ambr. & Hieron. Quia id requirebat veritas historiarum.

2. Quia Christus venit peccatores salvos facere.

Cons. 2. Causam dat S. Chrysostr. ut ostendatur vanitatem esse gloriari de majoribus, eorumque nobilitate: Quia vera nobilitas

FF 3 dependet

dependet ab actionibus virtutum, non majorum, sed proprijs.

*Conf. 3.* Causam quartam ex Menochio. Quod non sit sanguis tam sincerus, nec familia tam illustris, quæ non habeat in presenti, vel in præterito aliquam maculam, vel infectionem vitij, aut ignobilitatis. Discam ex virtuosis actionibus aliorum imitari, quod potero, ex vitiosis dediscam, quod videro.

MEDITATIO CCCLXXXVI.

De Annunc. B. Virgin.

*De puritate & humilitate B. Virgin.*

**V**idebo Angelum venientem ad parvam civitatem Nazareth, sitam in monte, in Galilæa minore 6. miliaribus distante à monte Tabor. Petam agnoscere duos sanctitatis fontes puritatem & humilitatem.

*Conf. 1.* Puritatem cordis esse sanctitatis principium, quæ est causa, cur Deus oculis mentis videatur. Suprema custodia puritatis oritur. 1. Ex continuo gratiæ influxu. 2. Ex delectatione in Deo, quia gustato spiritu desipit omnis caro. 3. Ex scripturæ divinæ frequentatione. *Ama scripturam, & carnis vitia non amabis, inquit Hieronym.* B. Virgo fereur ab Angelo reperta in lectione Isaiæ, ejus Spiritus exultavit peréniter in Deo salutari suo. Omnes cordis illius motus excitabantur, &  
vivifi.

vivificabantur gratiâ, & Spiritûs sancti influ-  
tu continuo, ideo dicitur gratiâ plenâ, quæ  
omnem labem non aliter, atque fel à corde  
projecit. Imitabor eam per actionē puritatis.

*Conf. 2.* Alter fons sanctitatis est humilitas,  
quâ Deus magis delectatur, quàm devotione  
aut aliâ virtute, ut sponsus magis optat in-  
tueri vultum, manûsque Sponsæ, quàm chi-  
rothecas & monilia, ut loquitur Dominus S.  
Gertrudi: lib. 3. c. 18. B. Virgo naturam hu-  
manam usque ad Deum exaltatam subjecit  
infra se, nominando se Ancillam Domini,  
cùm Mater esset, quia debuit suo Filio sum-  
mè assimilari, sed in Christo fuit abyssus hu-  
militatis, eum igitur Diva imitari debuit, &  
ego Divam actionibus humilitatis.

*Conf. 3.* Qui semel communicat huic (in-  
quit Dominus lib. 3. cap. 53. D. Gertrudi)  
Ego me ipsum tribuo ad salutem cum om-  
nibus bonis, quæ continentur in thesauris  
meæ divinitatis pariter & humanitatis. De-  
siderabo Dominum suscipere in Unione il-  
lius amoris, quo Deus homo factus est pro  
nobis. Ideo B. Virginē imitabor, quæ Virgi-  
nitate placuit, humilitate cōcepit. *Magnum,*  
*quia Virgo, magnum, quia Mater; majus, quia*  
*utrumque, maximum, quia, cùm tota sit,*  
*putat se nihil esse. Ait*  
Beda hic.

## MEDITATIO CCCLXXXVII.

De SS. Philippo &amp; Iacobo.

*De Via ad Domum Dei.*

**A**spiciam illam ad coelum viam plusquam lacteam, doctrinam & exempla Christi; referta multis, omnis ætatis hominibus præsertim Apostolis. Petam per hanc viam ambulare.

*Conf. 1.* In Domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quales sint illæ mansiones, in quibus Regionibus, inter quos deliciarum agros, totum, quod delectat continentes; aviditati inexplebili cordis humani sufficientissimos; quò confluet tumor omnium affectuum meorum; ubi in Deo satiati stabilientur. O quale solstitium æviternum, ubi dilecto Deo unietur intimè, quasique incorporabitur anima, illic voluptuosa cellaria divinæ charitatis mero inebriantia, apotheca ex aromatibus humanitatis Christi, bellaria ex fructibus Passionis, mirabile pulchrum ex splendoribus Sanctorum, quod Angelica & humana omnis potentia, si conferretur in unam scientiam, nec unico verbo verosimili explicare posset.

*Conf. 2.* Via ad illas mansiones est, qui dicit; Ego sum via; Dilectus, via docendo,  
via



*De SS. Philippo & Iacobo.* 685

via exemplis præeundo, via patiendo: Nam præ ineffabili labore, quo propter nostram salutem fatigabatur, viam se nominat, nihil enim viâ minâs quietum, nemo eam non premit, quantis oneribus gravatur via, die ac nocte ab obvijs quibusque: & Dominus meus, ut me cælo inferret homini se subjecit, substravitque pedibus ludæ: præterea quas non ærumnas pertulit! jugo meo supposuit humeros suos, meæ fami obtulit carnem suam, siti meæ venas suas porrexit, deliquijs meis substituit spiritum suum, mortique meæ donavit vitam suam.

*Conf. 3.* Quid me felicius, quàm si huic viæ adhæream, quid infelicius, quàm si ab ea digrediar! Petam per merita, & intercessionem sanctorum Apostolorum, & sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem incorporari in viam viventem, ut explicat Lyranus ad Hebr. 10. *Initiavit nobis viam viventem. Christus in Sacramento Altaris via vivens offertur, quia ducit ad alteram vitam.*

MEDITATIO CCCLXXXVIII,

De Inventionione S. Crucis.

*Septem Mysteria revelata à Christo Nicodemo.*

**A**udiam noctu loquentem Dominum Nicodemo, eumque mira docentem. *Petam eadem assequi.* *Conf.*

*Conf. 1.* Myſterium primum à Domino revelatum amoris ſui erga nos. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret,* quibus verbis aperit cauſam humanæ ſalutis, Dilectionem Patris: quia, ut ipſe ait apud D. Gertrudem, bonitas mihi ingenita eligit melius. Melius autem eſt ſalvari hominem, quàm perire. Decernam imitari Dominum, & amore ejus ſemper in omnibus eligere melius. Sive, ut loquitur D. Bonavent. lib. 2. ſtimul. amor. cap. 17. *Semper, & in omnibus facere, quod eſt magis honorificum Deo, conforme Chriſto, afflictivum ſibi.*

2. Sincere ſcire volentem, docuit Dominus Deitatem ſuam: *qui descendit de celo Filius hominis, qui eſt in celo* Quod explicat Ioannes Baptiſta ibidem. *Qui de celo venit, ſuper omnes eſt, ſeu Patri æqualis.*

3. Pandit Nativitatem ſpiritualem, ex aqua & ſpiritu. Qui hinc non renaſcitur, ira Dei manet ſuper eum.

4. Docet Paſſionem ſuam, & Crucem, exaltari oportet Filium hominis. *Vt omni, qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Si qui credunt in Crucifixum, non pereunt, multò minus perit, qui crucifixus eſt.

5. Reſurrectionem ſuam. Crux enim Chriſto gloria facta eſt quia mors ejus eſt cauſa vitæ æternæ Chriſto & nobis. Ergo  
quantum

quan-  
tum,  
ſerva-  
ſalute

6.

ad co-  
deſcen-  
de m-  
tis aſ-  
diſſe

7.

jam  
ad ce-

Cuiq-  
nus S-  
tam,

com-  
ſigill-  
anim-

Bea-  
tutis  
Tr.

A

quantum in medico est, sanare venit ægrotum, ipse se interimit, qui præcepta medici servare non vult. Quis ejus, qui non vult uti salute, miserebitur.

6. Docet ascensionem, & reditum suum ad cælum, *Nemo ascendit ad cælum, nisi, qui descendit de cælo, &c.* Ut, si quis sine veste de monte descendat, & assumptis vestimentis ascendat, idem verè, qui descendit, ascendisse se dicitur.

7. Docet iudicium. *Qui autem non credit, jam iudicatus est.* Novit enim Dominus, qui ad coronam, & qui ad flammam permaneant. *Cuique tentatio propria crux est,* inquit Dominus S. Gertrudi lib. 3. cap. 30. Quam inventam, qui Christi sunt, ferunt. Toto affectu complectar Crucem velut clavem, unde 7. sigilla sunt aperta: Sapientia Dei Dignitas animæ. Vanitas mundi. Atrocitas inferni. Beatitas cœli. Horror culpæ. Honor virtutis. Ita D. Bonavent. apud Ludov. de Ponte. Tr. 2. cap. 14.

*IV N I V S.*

*MEDITATIO CCCLXXXIX.*

*De B. Aloysio.*

*De tribus prerogativis B. Aloysij.*

**A**spiciam B. Aloysium angelicum primæ  
ætate vocatum, omni fœdâ contagione  
liberum,

liberum, sine distractione cum Deo agentem. Petam ad eius gratiam pertingere.

*Conf. 1.* Deum & dæmonem, quàm maximè initia appetere. Deum quidem ea velle esse ferventis, dæmonem autem velle esse vitiosa; Deum velle ea perfici; dæmonem non cessare primam, quam intulit, culpam augere: Deum velle securitatem & perseverantiam in bene cœptis, quæ habetur, si initia sint sine vitio, & quò maturiùs, eò feliciùs cuiuslibet resistitur malo principio; dæmonem autem sicut dissentientibus sibi, debilis formica est, sic consentientibus leone fortiorem evadere. Quare, cum sibi Deus animam B. Aloysij prælegisset, notat Bellarminus noster in oratione de B. Aloysio. unam singularem fuisse ejus prærogativam, quòd statim sub initiũ primi usũs rationis, ad Deum vocatus sit. Quò autem hac gratia major est, eò districtiùs judicabuntur, quotquot in sæculo à lapsu præservati, postmodum in Religione naufragantur: quam rationem inexcusabiles isti reddent Deo?

*Conf. 2.* Alteram B. Aloysij prærogativam: Fuisse eum liberum ab omni fœda cogitatione, ut supra citatus Bellarminus de eo affirmat. Magnum hoc donum est Dei, quod mihi Dominus si dedit, quas ei gratias reddam: quia non fecit taliter omni nationi: quòd

quòd  
adhu  
afficie  
Co  
fuisse  
tione,  
benef  
re de  
libera  
tur co  
mni l  
arrem  
esse a  
prate  
cont  
Hun  
ristia  
Aloy  
tione  
actio

E

A  
fisi  
dal

quòd si bella premant hostilia, quomodo adhuc sentinam corporis mei, cor & capus afficientem in servitutum non redigo.

*Conf. 3.* Prærogativam B. Aloysij tertiam fuisse, quòd caruerit distractionibus in oratione, ut idem testatur Bellarminus. De quo beneficio ait S. Bernard. cap. 25. de interiore domo. *Non invenitur inter ceteras artes liberales, ars ista præ alijs liberalis, quâ teneatur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est.* Addit tamen idem, artem contra distractiones, & lubricitatem esse amorem. Serm. 39. *O Amor Dei, qui præter te aliud cogitare non suis fastidis cetera, contemnis omnia præter te, te contextus, &c.* Hunc amorem petam in sacratissima Eucha- ristia, quem ibidem vel accepit, vel auxit B. Aloysius, trium dierum præmissâ præparatione, & sequente tot dierum gratiarum actione, quoties communicabat.

## MEDITATIO CCCXC.

## De sancto Ioanne Baptista.

*Fuit unus ex tribus Sanctis DEO summè charis.*

**A**spiciam sanctum Joannem Baptistam Deo charissimum. Ducem Christi gloriosissimum vexillo instructum, demoni formidabilem. Petam mores Sancti assequi.

*Conf.*

*Conf. 1.* Tres Deo summè placuisse, diabolo summè displicuisse. B. V. S. Joannem Baptistam. S. Magdalenam. Ut revelatum D. Brigittæ lib. 4. c. 108, Dæmones enim ad ortum Divæ territi videbant omnes suos laqueos sicut struppam rumpi, omnem malitiam sicut putridos funes dissolvi, omnem immunditiam sicut fœnum rescindi, omnem mundi delectationem faciliùs, quàm scintillam à torrente aquarum extinguì. Ad conversionem B. Magdalene pinguis prædæ nec posse, auderèque aspectum ad eam figere, adeo lacrymis lota fuit. Ad ortum S. Joannis Baptiste fuisse se confusos, quia omnem superbiam contemnebat, ad divitias oblatas occiput verterat, ad voluptatem insensibilis & quasi mortuus erat.

*Conf. 2.* Causam post Dei gratiam tantæ sanctitatis non fuisse, quòd corpori suo venenum pro cibo, spinas pro indumento dedissent, vel quòd jacuissent in tumulo fornicarum; sed quia 1. animam ut Dominam, corpus ut servum habuerunt. 2. Nihil dilexerunt sicut Deum. 3. Nihil facere voluerunt contra Deum. 4. Nihil eorum omittere voluerunt, quæ erant Dei.

*Conf. 3.* Verba S. Joannis Chrysosti. de S. Joanne Baptista, expectabat Christum, noverat esse venturum, *oculi ejus nihil aliud dignabatur.*

*De SS. Petro & Paulo.* 691

gnabantur aspicere! ô saltem ego in sacra-  
tissimo Sacramento nihil aliud mente aspi-  
cerem, cum revera quidquid Deus non est,  
vel ad Deum directum, non sit vel unico  
actu amoris dignum, præterquam, quòd  
non sit in homine particula ullius affectûs,  
quæ Deo non debeatur infinities.

MEDITATIO CCCXCI.]

*De SS. Petro & Paulo.*

*De Officio boni Pastoris.*

**A**spiciam duo luminaria, duas olivas,  
duos oculos mundi, duo ubera, gemi-  
nas manus Christi, duos montes sicut Sinai  
lucentes fumantésque petras, Apostolorum  
Principes. Petam eos assequi.

*Conf. 1.* Boni Pastoris esse, quod infir-  
mum consolidare, quod ægrotum sanare,  
quod confractum alligare, quod abjectum  
reducere, quod periit, quærere. Ut ait Ezech.  
cap. 34. Sit pietate Mater, disciplinâ Pater,  
ait D. Gregorius de cura Pastoralis. Debet  
medicamenta providere & ornamenta, in-  
quit D. Augustin. hom. 26. inter 50. Denique  
vulnera curare, abluere sordida, reparare  
perdita, & quæ sunt integra spiritualibus  
margaritis ornare. Atque, ut Dominus ait,  
& fecit, animam dare, quem imitati sunt  
sancti Apostoli, & Principes Apostolorum,  
ad

ad quorum imitationem me ita hortatur D. Chrysoſt. hom. 66. ad pop. *Tu neque Paulo melior es, neque Petro, qui nunquam remiſſionem aſſecuti ſunt, in amando, operando, & patiendo pro Deo & Proximo. Nudi ſaculo, induiti Chriſto, ut ait idem hom. de Pentecoſt.*

*Conf. 2.* Et cum Diva Gertrude requiram à Domino, ut cum abſim à tanto zelo, & perfectione Apoſtolica, quàmnam ego oves paſcere poſſim, unde ſummam dilectionem Domino demonſtrem, & audiam reſponſum lib. 4. cap. 45. *paſce agnos tenerrimos mihi dilectiſſimos. Cor tuum paſce divinis meditationibus, in laudem Dei, bonum proximi. Os ſalutari loquelâ. Oculos ſacrâ lectione, aſpectuque piarum imaginum & Crucifixi. Aures utili auditu & acceptione reprehentionum. Manus continuis exercitationibus juxta vocationem. Horum ſtudium ſummæ dilectionis erit exhibitio.*

*Conf. 3.* Quoniam modo fieri poſſim particeps tantæ dilectionis, & intelligam tribus id modis aſſequi me poſſe. 1. Fatendo me ejus indignum. 2. Fiducialiter ſperando. 3. Imitando, imò ſumendo in Venerabili, ipſam dilectionem & charitatem.

*I V L I V S.*

*MEDITATIO CCCXCII.  
De Viſitatione B. M. Virginis.*

*De*



*De Visitatione B. Virginis. 693*

*De ineffabili B. M. Virginis gratia.*

**A**spiciam cor B. M. Virginis instar thimiamatis effusum in laudem Dei propter ea, quæ accepit à Domino. Petam DEVM laudare cum ipsa.

*Conf. 1.* Quòd B. Virgo laudes Deo reddat, dum ipsa laudatur, totum quidquid haberet, assueta in Deum semper reflectere, & 1. laudat Deum propter beneficia particularia collata Animæ, corpori & passionibus, spiritui, menti, rationi, voluntati, quòd respexerit humilitatem, vilitatem, puritatem, abjectionem ancillæ suæ. Ex hoc deinceps me omnia futura secula tot altaribus, sacellis, templis, cõgregationibus, Religionibus, processionibus, concionibus, invocationibus, votis beatam dicent, quia fecit mihi magna, in hoc verbo inclusa sunt omnia. quo fatetur, se explicare non posse, quod capere potuit ab Omnipotente & Sancto.

*Conf. 2.* Quomodo B. Virg. laudet Deum propter beneficia communia, quæ secundo loco ponit, tanquam inferiora. Quàm potens Deus in vindicta sumenda de impietate & injustitia, & superbia, non solum in una persona Nabuchodonosore, Salmanasar, sed in integris nationibus, quas depressit, Cananaeos, Amortheos, Amonitas, Philisteos, alias Sauli substituit. Davidem humili-

lem,

694 *De Visitatione B. Virginis.*

lem, Amano Mardocheum modestum, Esurientes per Angelum, Daniele per Abacuc, satiavit, divites autem dimisit inanes, qui eguerunt & esurierunt.

*Conf 3.* Quòd B. Virgo rursus ad particulare beneficium redeat còmemorandum, & Deum propterea laudandum. Quòd Israëlem servum & filium suscepit misericordiæ suæ non oblitus, sicut promisit Adæ, Abrahæ, Davidi, quòd eos non à Romanorum, sed à duriore demonis tyrannide liberaturus sit perenniter. Quando Deus suos magnificat, facit magnos opibus, honore, donis, gratijs, idque agit amore benevolentia; nos autem quando Deum magnificamus, nò possumus, nisi amore còplacentiæ, celebrare ejus majestatem, omnipotentiam, sanctitatem, sapientiam, bonitatem. Et adhuc sim difficilis, ad hoc saltem Deo reddendam? quin imò hostiam insuper laudis Eucharistiam immolabo, & cum Diva conscendam festinanter superiora virtutum, ut ait D. Ambrosius. *Quò enim Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet? in cap. 2. Luc.*

MEDITATIO CCCXCIII.

De S. M. Magdalena.

*De bono Dilectionis & Devotionis.*

Aspiciam

*De S. Maria Magdalena. 695*

**A**spiciam Magdalenam projectam ad pedes Domini dilectione & devotione difluentem. Petam eam in his imitari.

*Conf. 1.* Qui se tota dilectione Deo dant, quod saepe fit unico actu heroico renunciationis suae, exinanitionis atque victoriae, qua de se hodie triumphat S. Magdalena, tales inquam curae Deo esse triplici jure creationis, redemptionis, & specialis electionis atque dilectionis. Et amans ex toto plus valet apud Deum pro vivis atq; defunctis salutem orans, quam non amantium millia duodena. Ita ipse Dominus D. Gertrudi l. 4. c. 55. Imo anima toto corde conversa ad Deum, & integra voluntate supplere volens omnem defectum honoris Dei, in blanditijs amoris accenta sic placet Deo, ut propter quinque tales Deus parceret toti mundo. *ibid.* lib. 3. c. 50. In B. Magdalena se vincente tantus fuit amor, ut a Domino multus dicatur. Confluctuq; peracto anima ejus deinceps ab illa hora liquefacta est. Pro cujus conversione, qui in dies gratias Deo agit, non morietur sine actu contritionis, inquit Dominus S. Mechildi.

*Conf. 2.* Quod devotio in B. Magdalena dilectionem auxerit. Si enim charitas est gemma, devotio est ejus fulgor, si illa balsamum, haec ejus fragrantia, si illa peccatum fugat & timorem, haec est vapor pellens daemonia septem

prem, id est omnia, & definitur quod sit quædam promptitudo mentis & affectus, qua res divinæ libenter suscipiuntur, & delectabiliter cum sapore quodam exercentur. Est devotio effectus meditationis, cui quærenda ibidem insistendum, & quia est donum Dei studiosè peti debet. Cui ut vacaret Magdalena, triginta annis desertum incoluit.

*Conf. 3.* Quod frequentatio SS. Eucharistiæ devotionem perficiat, ideo D. Paulinus epist. 4. devotionem S. Magdalene adscribit communioni, *osculis* (inquit) *sugentibus prælibavit vivificum panem, hunc & ego manu, ore, spiritu, tenebo, stringam, prælibabo, & gratiam devotionis, & deinceps plenæ dilectionis, meique exinanitionis, (hæc enim se invicem consequuntur) impetrabo cum Magdalena, quæ non quæsit sicut Cananea micæ, sed ipsum Panem Vitæ amplexa est.* Ita D. Chrys. serm. de Magdal.

### MEDITATIO CCCXCIV.

Die S. Iacobi.

*De remedij contra defectibilitatem humanam.*

**A**spiciam filios Zebedæi animosos, sed nisi majori gratiâ suffultos, defectibiles velut folium in omnia mobiles & defluos. Petam sancti gratiâ præmuniri.

*Conf. 3.*

*Conf. 3.* Quàm multi cum duobus filijs Zebedæi, optant esse proximi Christo, insignibus ejus indui, calicem bibere, & in momento aliter sentiunt ad levem displicentiam, ignem è coelo mitti volunt, de majoratu contendunt, relicto Jesu diffugiunt. Deplorabo defectibilitatem humanam.

*Conf. 2.* Causam tantæ defectibilitatis esse corpus aggravans animam. Ut via floribus strata durer, debet iterari florû sparsio, quia ibi non crescunt flores, sicut in hortis. Ut transplantatæ arbores fructificent, specialis curâ opus est. Quòd proposita non servemus causa est, quia sunt partus spiritûs prompti, non autem carnis infirmæ. Hinc non, quod volo, bonum, hoc ago. Ad Rom. 7. Frigus, quia connaturale est aquæ, semper cum ea manet; calor, quia violentus, non manet, nisi igne admoto.

*Conf. 3.* Remedium huic malo esse specialis gratiæ subsidium; ex parte verò nostra majora facienda, ut serventur minora. Et semper ascendendum, sive per myrrham poenitentiæ, vel thûs orationis, vel aurum virtutum, lucemque boni exempli. Petam quàm ferventissimè tria in sumptione Eucharistiæ: ordinari appetitus inordinatos, roborari defectibilitatem meam, & sublevari me ad eam meam renunciationem.

ut nunquam amore mei quidquam velim,  
sed amore Dei omnia.

## MEDITATIO CCCCXCV.

Die S. Annæ.

*Quomodo fieri possimus Gazophylacium  
DEI.*

**A**spiciam D. Annam, Venerabilem DEI  
Matris Parentem, velut arcam testa-  
menti, in qua reclusum est omne Dei bonum  
nostramque solatium. Petam assequi par-  
tem aliquam gratiæ ipsius.

*Conf. 1.* S. Annam dici ab Angelo apud  
S. Brigittam, serm. 10. Omnipotentis Dei  
gazophylacium, quia ipsius thesaurum, su-  
per omnia sibi amabilem, in suo utero re-  
condebat. Si ubi thesaurus, ibi oculus,  
jugiter DEVS huic thesauro oculos suæ  
Majestatis infixit.

*Conf. 2.* Ideo B. Annam in Parentem Ma-  
tris Dei, & aviam Christi Domini electam;  
quia sicut aquila eligit pro nido suo arbo-  
rem maximè proceram & solidam, sic Deus,  
cui omnia nota & aperta sunt, dum universa  
conjugia honestissima, quæ à primi homi-  
nis creatione deinceps fieri debebant, pro-  
spiceret; nullum simile *Ioachim & Anna*  
*conjugio in omni divina charitate & honestate*  
*previdit, idcirco ei placuit de hoc sancto*  
conjugio

conjugio honestissimæ suæ Matris corpus quod per nidum intelligitur, generari, in quo ipse cum omni consolatione dignaretur quiescere. Ita Angelus ibidem.

*Conf. 3.* S. Annam plus aliquid habuisse, quam Joachim, ut ait S. Vincentius Ferrerius, serm. 2. de Nativit. B. Virgin. Anna habuit majorem participationem cum Virgine Maria, quam Pater. Sicut fasciculus violarum plus redolet in eo, qui diu eum portat, quam in eo, qui solum tangit. S. Anna verò tulit B. Virginem in utero, & post natiuitatem lactavit, manibus gestavit, exosculara est. Unde discā, quod si major B. Virginis cultor fuero, magis me adoptandum, ut efficiar gazophylacium Dei, & Paradisus Domini **JESU** Eucharistici. Sicut ait D. Thomas opusc. 58. c. 31. *Eucharistia facit animam quasi paradisum.*

MEDITATIO CCCXCVI.

De S. Ignatio.

De Victoria sui.

**A**spiciam S. Ignatium illustre exemplar Victoria sui, omnia virtutis obstacula, amorisque proprii fructus, ramos & radicem, absumentem, sicut solent ad odorem ignis lina consumi. Petam eum imitari.

*Conf. 1.* Sicut absente calore naturali omnia mortua sunt, sic D. Ignatius amorem

GG 2 proprium

lino,  
iura  
DES  
esta-  
num  
par-  
apud  
s Dei  
n, su-  
ore-  
ulus,  
sua  
Ma-  
tam;  
arbo-  
Deus,  
yerta  
omi-  
pro-  
Anna  
estate  
incto  
jugio

proprium ejecit, ut nihil ejus superesset. Et quidem 1. Victoriæ sui gradus est amoris proprii *lethales fructus* poenitentiam resecurisse. Quæ sui Victoria licet sit infima, in sancto Ignatio tamen mira fuit, ut ipse docuit 1. gradu humilitatis. *Vt ne mundi quidem totius oblate mihi dominio, vel extremo vita discrimine objecto transgrediar ex deliberato mandatum illum divinum.* Id, quod exercuit; quia peccatum esto non esset vetitum, admittere noluit. Quæ conditionata spem dæmoni auferit, qui ultimam tentationem conditionatam proponere solet hanc: si esset licitum velle me? si adhuc nolo, tunc de me vincendo desperat.

*Conf. 2.* Alteram victoriam sui esse illorum, qui amoris proprii ramos seu passiones domant & coërcent, est hæc major sui victoria, sed in B. Ignatio multò maxima, qui duas origines mali, amorem & dolorem domuit. De amore domito, loquitur Massæus in vita B. Ignatij inquit: *Qui nihil habebat humani, quo animam posset relaxare.* De domito dolore legitur in Bulla Can: *Quod lætitiâ perfrebat, dum irrisiones, opprobria, confusiones injurias, persecutiones pateretur.* Qui secundus est gradus humilitatis.

*Conf. 3.* Tertiam & supremam victoriam sui esse illorum, qui radices ipsiusmet amoris



ris proprij evellunt per Dei amorem purum,  
 quod S. Ignatium fecisse in Canonizat. ejus  
 ita testatur Cardinalis Monti. *Ignatius in*  
*Deum caritatem aded puram in suo corde alui*  
*retinuitque, ut etiam sui ipsius amorem à se pro-*  
*prus amandaret. In quo amoris argumento Mar-*  
*tyrum, ac multorum renovavit exempla San-*  
*ctorum. Conformiter doctrinæ. 3. gradus*  
 humilitatis. Et quia amor Dei nunquam est  
 sine amore proximi, quantum dilexerit sa-  
 lutem proximi constat. S. Franciscus Sera-  
 phicus sui causâ se in nivibus volutavit. S.  
 Ignatius ad tentationem in alio extinguen-  
 dam, in gelidas undas insiliit. Alij Sancti in  
 terris mira tulerunt in salutem proximi, S.  
 Ignatius cœlum sibi differri paratus fuit,  
 dum modo prodesse posset proximo. Quem  
 actum charitatis, dubitat S. Bernard. esse  
 in Angelis, serm. de S. Mart. Medium ad  
 hanc victoriam sui, est cognitio Dei, sui que,  
 ut refertur lib. Canonizat. S. Ignat. cap. 8.  
 Quod post raptum dixerit: *Dominus meus,*  
*& Deus meus, amor anima mea. O si homines*  
*te agnoscerent! certè imitarentur, quia gloria*  
*magna est sequi Dominum, Eccles. 23. Petam*  
 per ejus merita mediante sacratissimæ Ev-  
 charistiæ sumptione: de qua ait Nicetas in  
 vita S. Ignatij Martyris, quod sit *cœlestis carbo,*  
*gratiæ radios spargens; cognitionem DEI,*

meique, dolorem de peccatis meis, abstractionem affectûs à terrenis, desiderium vivum cœlestium, diligentiam, verum solidumque profectum in omni virtute, præsertim victoria mei.

## MEDITATIO CCCXCVII.

## De S. Laurentio.

*Tres Virtutes sancti Laurentij  
miraculis majores.*

**A**spiciam S. Laurentium virtutibus illustriorem, quam Hammis, inter quas sibi fuit præsentissimus. Petam eum imitari.

*Conf. 1.* Virtutem miraculo majorem esse Eleemosynam, D. Chrysostr. ad pop. hom. 36, *Hac major est gratia, quam mortuos suscitare, esurientem pascere Christum, hic enim ipse Deo debes: eleemosyna verè Deum habet debitorem.* Id præstitit sanctus Laurentius facultates Ecclesiæ in pauperas distribuendo ante martyrium.

*Conf. 2.* Alteram virtutem miraculo majorem esse conversionem peccatoris, Ita S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 17. *Majus est miraculum prædicationis Verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quam à carne mortuum resuscitare: in isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima æternam victura.* Id præstitit S. Laurentius in carcere

conyeta

convertens homines, in quem, ut ipse perver-  
teretur, fuerat inclusus.

*Conf. 3.* Tertiam Virtutem miraculo ma-  
jorem esse patientiam, *signa Apostolatūs meū  
facta sunt super vos in omni patientia,* inquit  
Apostolus 2. ad Cor. 12. præponit pacien-  
tiam. postponit prodigia, quia sequitur *in  
signis, & prodigijs, & virtutibus.* Pati sponte  
est honorificum, quia à Christo honoratum:  
pati, quod evadere non possumus, Deo est  
tam gratum, ut humanitūs nequeat discer-  
ni, quid sit gratius sponte, vel necessitate pa-  
ti; est enim hoc sanctificatum verbo Christi  
in extrema necessitate constituti, orantūque  
*Pater, si fieri potest, &c.* Ita Dominus S.  
Gertrudi lib. 3. cap. 70. Imò, qui compati-  
tur alteri, particeps fit meriti illius, ut si pan-  
nus intingatur in crocum, quidquid cum  
panno intingitur, coloratur. Excelluit S.  
Laurentius in craticula in omni genere pa-  
tientia. Cujus meritis & intercessione petā,  
tam illustria virtutum exempla imitari, præ-  
sertim in tentationum flammis, presentiam  
mentis, Deique non amittere: ad quem su-  
mendum in Venerabili, accedo vario tribu-  
lationum igni expositus Viator, & *Evha-  
ristia est cibus viatorum, non civium,*  
inquit sanctus Villanova de  
Venerabili.

## MEDITATIO CCCXCVIII.

De B. Stanislao.

*Quibus vijs tam citò iste Sanctus  
evaserit,*

**A**spiciam B. Juvenem ætate, senem vir-  
tute, ex Novitio Palatinum coelestem,  
Petam eum imitari.

*Conf. 1.* Quomodo B. Stanislaus deside-  
rio Vitæ perfectæ generis nobilitatem, am-  
plissimâsque facultates negligens, Societati  
Jesu nomen dedit, multis ante obstaculis  
superatis, in eâque religiosi instituti tenacis-  
simus intra octodecim menses disciplinæ  
exactæ brevi exemplar factus, præsertim,  
quòd dives pauperrimus, nobilis humilli-  
mus, juvenis castissimus, sui Victor acerrim-  
us. Quid agerem, si iisdem ad Sanctimo-  
niam medijs essem præditus?

*Conf. 2.* Quomodo à puero JESU cum  
ejus Matre ægrotans Novitius meruit visi-  
tari, & antè à duobus Angelis, præsentè S.  
Barbara Martyre, cœli pane refici. Spectans  
favores isti ad centuplum, quod Deus suis  
adhuc in hac vita elargiri solet, ut nos am-  
plius excites ad desiderium vitæ perfectæ.

*Conf. 3.* Tres operationes Dei in anima  
feri solitas, dum eam in morte ad se vocat.  
**I.** Est sensus gloriæ, quo Deus Pater animam  
ad se

ad se vocatam replet. 2. Sensus gaudij, qua  
eam accipit Filius. Tertia operatio est sensus  
ignei, nullique mortalium perceptibilis  
amoris, quo Spiritus sanctus animam sibi  
unit, & cum dilecta in coelum fugit. Ita  
Dominus patefecit S. Gertrudi, lib. I. cap. 4.  
Et expertus est B. Stanislaus præcordia Dei  
amore flagrantia pannis in aqua frigefactis  
refrigerare coactus. Petam aliquid calor  
ejus in sacratissima Eucharistia, idque petam  
per lacrymas Beati, divinæ dulcedinis vi ex-  
pressas, & per ipsum cibum Angelicum co-  
mundem manibus allatum, ut quem à Bea-  
tissima Virgine Deum oblatum brachijs suis  
gestavit in terris, ego in coelis eo fruam.

MEDITATIO CCCXCIX.

De Assumptione B. Virginis.

*De Gloria B. Virginis.*

**V**idebo B. Virginem divinâ virtute Deum  
absorberi, sicut fervidus Sol stillam  
toris exsiccat, & in coelum transferri, ac su-  
per Angelos exaltari. Petam agnoscere ejus  
gloriam, eique magis servire.

*Cons. 1.* Quod B. Virgo sit assumpta hora  
3. Matutina, postquam pridie in Deum ab-  
sorpta, & tam copiosè divinis influxibus su-  
perfusa fuisset, ut ab ea cum impetu resilie-  
rit in modum stellarum lucentium radij

SS S charis

charitatis & gloriæ, quos Sancti colligebant, quia ex superabundantibus meritis Divæ gaudium hauriunt Beati; ita Dominus S. Gertrudi lib. 4. cap. 4.

*Conf. 2.* Affectum, quem B. Virgini Dominus exhibuit è corpore exeûti maximum, ut ipsa ibidem revelavit lib. 5. cap. 2. fuisse: *in hoc, inquit, magis delectabar, quia tam securum refugium, Fili mi, in ulnas tuas habui.* Cujus causam addit Dominus, *hoc Mater mea pro eo accepisti, quod toties dolorosis suspirijs Passionem meam in terris recolueris.*

*Conf. 3.* Aspiciendo Divam super omnes cœlos exaltari, cui festivè gratulantur Angeli. 1. Propter dignitatem Matris Dei, quâ nihil est in creatis sublimius. 2. Propter puritatem Virginitatis, cum Maternitate, neutram alteri adversam. 3. Propter exemptionem ab omni peccato. 4. Propter gratiam super omnes Angelos & Sanctos. 5. Propter virtutes perfectissimas, dona & prærogativas super omnes Sanctos. 6. Propter continuationem meritorum, ut semper mereretur. 7. Propter conversationem cum Filio DEI per totam vitam, quem parvulum gestavit, cui in omni necessitate providit. 8. Propter coronam Virginitatis, Martyrij & Doctrinæ, quia Virginum antesignana, gladius pertransijt animam ejus, Apostolorum Magistra  
exstitit;

exiit. 9. Propter abundantissimam gloriam animæ & corporis, quâ super choros Angelorum, & super omnem creaturam est exaltata. Distribuam hæc per Novem choros Angelorum, quibus comitantibus accedam ad sanctissimam Eucharistiam, ut innitas super dilectum, Dilectam suam ita alloquentis: *Quam pulchra es, & decorata in deliciis.* Cant. 3. Quasi diceret interprete D. Thoma, opusc. 58. cap. 26. *Delicato cibo & potu Corporis Christi, & Sanguinis enutrita, facta es multum decora, & idcirco grata DEO, & chara.* Orabo fieri DEO charus per intercessionem B. Virginis. Quam idcirco DEVS de presenti sæculo transtulit, ut pro peccatis nostris apud DEVM fiducialiter intercedat. Ita orat Ecclesia in Vigilia Assumptæ Virginis.

MEDITATIO CCCC.

Pro tota, & infra Octavam Assumptionis B. Virginis.

*De Natura Contemplationis, & ad eam medit.*

**V**idebo, quod vocatus ad contemplationem si ire negligat, idem agat, quod vocatus ad serviendum mensæ Regis, si abeat ad stabulum equis purgandis: è contrario non vocatus, se tamen ad contem-

plandum applicans, accedit ad mensam Regis, qui ei ministrare deberet: donum enim contemplationis nemo habet, nisi, cui donatum est. Ita Dominus D. Gertrudi lib. 3. cap. 44. Ad quam B. Virgo, cum sit vocata, eam velut aquilam & solem suum contemplandum intuebor.

*Conf. 1.* Contemplatio est liber perspicax, & certus intuitus Dei, ac rerum coelestium admirationem inferens, in amorem desinens, atque ex amore procedens: dicitur intuitus, quia non est opus rationis discurrentis, sed opus intelligentiæ, veritatem absque omni discursu simpliciter inspicientis. Qui perspicuus est, quia non à Fide, sed à dono sapientiæ procedit, aliisque Spiritus sancti donis adjuvatur.

*Conf. 2.* Gradus contemplationis. 1. Est intuitio veritatis, quâ simplici quodam intuitu, absque discursu veritas videtur, idque vel per species à sensibus acceptas, vel per infusas, vel per lucem quandam intellectum confortantem. 2. Est secessus animæ ad interiora, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, ut ibi cogitet & amet, & ab exterioribus elongetur. 3. Spirituale silentium, in quo anima videt & audit Dominum, ipsa verò nec intellectu, nec affectu loquitur, aut petit. 4. Est quies, *jucund.*



jucunditas quædam voluntatis nihil quaerentis, nisi sic in Deo perseverare. 5. Unio est illud donum, quo Deus in intimo animæ clarissimâ luce se illi præsentem ostendit, cum suo erga eam amore & intuitu. 6. Auditio loquelæ Dei, quæ purè percipitur in intellectu mentis. 7. Spiritualis somnus est ille gradus amoris vehementis, qui præ suo fervore operationem intellectûs expellit, aut certè eam tam simplicem relinquit, ac subtilem, ut eam anima minimè advertat. Quod facit somnus circa hominem exteriorem, hoc iste circa interiorem. 8. Extasis elevatio mentis in Deum, cum suavi abstractione à sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius elevationis procedens. 9. Raptus est abstractio, quædam violenta à sensibus, per quam mens ad divinorum inspectionem & amorem elevatur. 10. Apparitio Christi ac Sanctorum corporea. 11. Apparitio eorundem imaginaria. 12. Visio intellectualis, quæ est manifestissima rerum coelestium ostensio, soli intellectui objecta. 13. Visio Dei in caligine est cognitio illa, quâ transcursum omnibus creaturis, & relictis omnibus similitudinibus mysteriorum, etiam supernaturalium, in Deum, ut incomprehensibilem, & nobis incogitabilem ferimur, & eo quasi pelago infinitæ essentiæ, quam ignoramus,

ramus, penitus absorbemur. 14. Admiranda manifestatio Dei, quã se Deus revelat, neque in caligine, neque in sua claritate, sed alio modo ineffabili. 15. Visio clara & intuitiva Dei, quæ est Comprehensorum in patria.

*Conf. 3.* Requisita ad contemplationem, 1. Natura quieta & placida: naturæ enim inquietæ, duræ, & cordis ad externa propensi activæ sunt. 2. Peccatorum etiam minimorum fuga. 3. Vitiolorum peremptio. 4. Usus mortificationis quorumvis excessuum, maximè elationis. 5. Omnimoda nuditas affectuum terrenorum, etiam si habeant speciem pietatis. 6. Negotiorum & occupationum externarum moderatio, quã effusio in res externas cavetur, non actiones officij & status intermittuntur. 7. Omnium virtutum, sed præcipuè humilitatis studium. 8. Puritas vitæ, quæ comparatur cogitationum tranquillitate, vacuitate à vanis discursibus, & affectuum perfectâ mortificatione. 9. Perseverantia in oratione mentali, non omittenda propter ariditatem, aliave impedimenta. 10. Discreta cura salutis corporalis. 11. Divina specialis ad contemplationem vocatio, & gratia. 12. Præsentia Dei, quæ tribus modis cogitari potest. 1. In imagine sensibili, si Christum Dominum in omni loco & opere, quasi præsentem & aspicientem intueamur.

mur. 2. Conspiciendo oculis fidei sanctissimam Trinitatem, aut ipsam divinam Naturam nobis presentem, & omnia nostra considerantem. Juvatur quis in hoc modo, si se centrum cogitet, Deum sphaeram, cujus circumferentia terminum nullum habet, si se ut atomum cogitet, Deum lucem omnia replentem. Spongiam immenso mari circumdatam. Pupillam in oculo, sonum in aere. 3. Deum intra nos intuendo nostri curam habentem, & in nos bona sua effundentem, Templum Dei sumus, psalleteque in cordibus nostris Deo nos jubet Apostolus. 13. Continuata oratio. 14. Staturis horis orationi quietae vacare, & in ea cognitioni Dei tam per affirmationem, quam Deo omnes perfectiones in creaturis repertas tribuimus: quam per negationem, quam Deo subtrahimus eorum limitatam perfectionem, omnemque imperfectionem: prior modus respondet picturae, alter sculpturae, cognitioni, item per opera naturae, gratiae, gloriae, per sacram Scripturam.

*Conf.* 4. Fructus contemplationis sunt 12. 1. Efficit, ut Dei sanctitatem imitemur. 2. Vitiis radices evellit. 3. Affectus ordinat. 4. Judicium, & propriam voluntatem abnegat. 5. Tentationes superat. 6. Virtutes perficit. 7. Opera expolit. 8. Intentionem  
rectifi-

rectificat. 9. Sensus utriusque colligit. 10. Adversa libenter sustinet. 11. Pacem & tranquillitatem infert. 12. Curat proximos ad omnem profectum juvare.

*Conf. 5.* Cautela opus esse, & perpetuâ circumspeditione in usu cōtemplationis. Cavendum videlicet, ne diuturniore motu, vel proximo desimus, vel inaniter efferamur, vel curiositati obsequamur, vel denique valetudinem lædamus, juxta illud Cant 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* His enim ni prospiciam, Deum à me avolare faciam, cui ejusmodi indiscretio, vel incuria valde displicet. Ita SS. Ambros. Gregor., Bernard. hîc.

## MEDITATIO CCCCL.

## De S. Bartholomæo.

*De Oratione attenta, & modo.*

**A**spiciam S. Bartholomæum, quem quidam putant Natanaëlem, centies de die, centies de nocte flexisse, & meditatione ad illam fortitudinem ascendisse, ut velut prudens serpens pellem dederit, quo caput suum Dominum JESUM, conservaret in se. *Petam gratiam orandi attentè.*

*Conf. 1.* Quomodo ad bene orandum me impellat. mea paupertas & indigentia, cœli divitiæ, unde omne bonum emanat; imò  
ipse

Ipse infernus ad orandum attentè me urget, quia dæmon visus est omnes syllabas in officio, præcipitatè omittas notare, ut est apud S. Gertrudem lib. 3. cap. 32. Quid eo infelicius, quàm cui oratio fit in peccatum, & quomodo audiri me sperem, qui me ipsum non audio?

*Conf. 2.* Adorandum attentè juvari me memoriâ Domini **JESU**, qui cor suum Patri pro nostro distracto, sicut & manus perforatas pro lapsibus earum offerre se fatetur. Ibidem cap. 41. Præterea juvari me devoto aspectu imaginis Christi, unde velut è speculo divini amoris radij suscipiantur, & in corde renoventur. Denique juvari me oratione interruptâ, sed frequentatâ, exemplo Ascetarum in Thebaide, & S. Bartholomæi, qui centies per diem, & nocte vicibus totidem genua flectere consuevit, saltem toties de die mentem ad Deum per actus virtutum elevare poterò.

*Conf. 3.* Solatium à **DEO** S. Mechtildi datum contra distractiones in oratione, præsertim non voluntarias, ut finitâ oratione dicatur cum Publicano: **DEVS** propitius esto mihi peccatori. Nam si hoc actu veniam gravium peccatorum ille adeptus est, quidni ego distractionum? Petam majorem in susceptione **S. S. Eucharistiæ** collectionem & devotionem.

*S. Eo*

*De constantia in bene cœptis, &  
modo.*

**V**idebo Divam inter duas divinæ legis tabulas fascijs involutam. Petam constantiter adherere DEO.

*Conf. 1.* Constantia, & ad diligenter aliquid efficiendum perseverantia oritur ex gaudio de re, quam quis agit; nunquam enim fatigamur in executione actionis, quam cum lætitia & gustu facimus. Neq; unquam distrahimur ab eo, quod vehementer amamus, & cujus præsentia valde gaudemus. Beata Virgo recens nata habuit intellectum illuminatum à Deo, & repletum veritatibus æternis, illum esse beatissimum Viatorem, qui occupatur in Deo, qui ejus quærit amicitiam, qui Redemptori est charissimus, qui quàm maximè abest ab omni labe, qui quàm plurima meretur, qui nullum habet in se affectum tam parvum, quem non Deo impendat, & superimpendat propter infinitum, quod Deo debet, obsequium. Ideo constans permansit in adhaerentia Dei, cui initio Immaculata Cœceptionis suæ adhaeserat; quia amabat & gaudebat in ijs. qua Dei sunt.

*Conf. 2.*

*De Nativitate B. Virginis. 715*

*Conf. 2.* B. V. fascijs adhuc involutam, infantulam jam rationis compotem, visis varijs familiaræ domesticæ defectibus, constantiam suo Deo dicantem, usâque verbis illis: Quis poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo J. S. V. &c. tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certa sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit me separare, &c.

*Conf. 3.* Et petam hanc constantiam, & causam ejus, amorem & gaudium eorum, quæ DEI sunt; ut sicut vehemens calor liquofacit glaciem, eamque quasi à propria natura dimovet, ut effluat per terram, eam imbibat, & cum illa quasi unum fiat; sic vehementi Dei, ejusq; Legis amore fit, ut anima quasi diffluat & absorbeat, imbibatq; Deum, & unum efficiatur penitus cum Deo in sumptione sacratissimi Sacramenti.

MEDITATIO CCCCIII.

De S. Matthæo.

*De duplici pulsû, quo hominum corda movet Christus.*

**V**idebo Dominum misericorditer Publi-  
canum

canum Matthæum vocantem. Petam simi-  
lem gratiam assequi.

*Conf. 1.* Quòd, sicut nullus sensus potest  
pulsu interrumperè, sic Christum Dominũ  
à sequentibus pulsibus cordis, nec cœli, nec  
terrã dimovere possint; quia incessanter  
peccatores primò ad justitiam, deinde justos  
ad perfectionem excitat & urget, ut ipse re-  
statatur Divæ Gertrudi lib. 3. cap. 51.

*Conf. 2.* Quòd primus in corde Christi  
pulsus operetur salutem peccatorum tripli-  
citer. 1. Quia sine intermissione alloquitur  
Patrem pro reis. 2. Quia fraternã fidelitate  
reos excusat, & Sanctos suos ad orandum  
pro eisdem impellit. 3. Ipsos etiam reos ad  
orandum & convertendum se ad Dominum  
incitat, oratque ipse, Cantic. 2. *Sonet vox tua  
in auribus meis, vox confessionis miseriarum  
& peccatorum tuorum; vox orationis & su-  
spiriorum ad me, vox laudis & fiducia, quã  
cor meum oblectetur, recreetur, vulneretur.*

*Conf. 3.* Alterum pulsus, pro justis ad  
perfectionem adducendis, etiam esse tripli-  
cem. 1. Dominus virtutum alloquitur Pa-  
trem ad gratulandum sibi de membris in-  
corporatis. 2. Alloquitur Sanctos suos simi-  
liter. 3. Alloquitur & justos ipsos ad profectũ  
eorum. Utrumque in se expertus est S. Mat-  
thæus; auscultabo, quo pulsu me Dominus  
Eucharisticus excitet.

MEDI.



## MEDITATIO ECCCLIV.

De S. Michaële.

*De felicitate Angelorum, & nostra  
propter eos.*

**A**spiciam cœlestes spiritus innumerabiles  
eâ formâ, quâ est ipse Spiritus sanctus  
visus in spiritu & igne. *Qui facis Angelos  
tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem,*  
Psalm. 103. Petam agnoscere felicitatem  
eorum, & meam propter ipsos.

*Cons. 1.* Quomodo Deus pro conversa-  
tione nostri det auxilia interna & externa,  
ut in tantis periculis æternæ salutis consti-  
tuti, conservemur contra omnes hostilitates  
Sathanae, inter alia verò auxilia esse Angelos  
Dei.

*Cons. 2.* Quomodo Angeli Dei ament bo-  
num nostrum. 1. Quia Angelis suis **DEVS**  
mandavit de te, qui cum ament **DEVM**,  
ament & nos. 2. Propter nos, quia opus illis  
habemus auxiliaribus. 3. Propter se, ut im-  
pleatur numerus Electorum. 4. Propter  
dæmones, ne habeant hunc gustum in de-  
prædatione nostri. 5. Nisi nos custodiant,  
nomen Angeli perdunt, quod est nomen  
officij, non naturæ.

*Cons. 3.* Beneficia Angelis collata à **DEO**.  
1. Quòd eos fecerit natura immortales, in-  
corrupti-

corruptibiles. 2. Quòd eorum intellectum perfecit sapientiâ, quâ Deum quoad naturalia, aut honorem naturæ cognoscunt. Voluntatem virtutum rectitudine, qua nihil mali admiserunt, potentiâ robustissima, qua ad nutum cœlos, & omnia corporalia movent motu citissimo, quo se in nictu oculi, ubi volunt, constituunt. 3. Quòd hanc naturam gratia exornaverit, ab omni culpa exemerit, Fide, Spe, Charitate, & omnibus supernaturalibus virtutibus expoliverit, meritis virtutum expleverit, brevi duratione aptos ad beatitudinem effecerit. 4. Quòd gratiam juxta perfectionem naturæ, gloriam juxta mensuram gratiæ & meritorum impertiverit, in cœlo collocaverit, absque experimento miseræ ad beatitudinem extulerit. 5. Quòd eos innumerabiles fecerit, summoque ordine in tres Hierarchias distinxerit, summa pace foederaverit. 6. Quòd quosdam sibi assistere fecerit, alios ministrare, alios inferiorem mundum gubernare, alios homines custodire. 7. Quòd meum Angelum custodem omnibus his donis exornaverit, & ejus ministerio suæ misericordiæ divitias in me effuderit, & mihi ad sanctissimam Eucharistiam accedenti comes est, cum innumerabili multitudine Angelorum, qui velut atomi circa solem suam circumvolitant.

De tribus Actionibus hominis DEO  
dicati.

Aspiciam B. Borgia, percalcato gustus & honoris idolo, anhelantem velut cervum ad compensandum, quod neglexit in seculo, obtinendum, propter quod se dicavit DEO. Petam agnoscere actiones ejus.

*Conf. 1.* A quò æternam vitam, Christi que Passionem meditando agnovit B. Borgia, ex illa fructum retulit non peccandi impostum, ex hac D. JESUM amplius amare, imitari que decrevit. Et quia vitam Religiosam rejebat esse mortem quotidianam 24. vicibus iteratam; ut exemplo doctrinam suam confirmaret, parum ei fuit quotidie semel mori, nisi continuè sibi moreretur.

*Conf. 2.* Quanto se odio persecutus fit; quia qui sibi displicet, Deo placet; Deus enim amat virtutem, & præsertim humilitatem ac veritatem. Displicet sibi, qui se agnoscit servum inutilem; ideo B. Borgia quatuor sibi titulos ordinariè dabat: bestia, peccatoris, demonis, nihili negans se dignum terrâ, aère, vitâ, existentia.

*Conf. 3.* Quantâ asperitate in se sævierit,  
dum

dum sanguinem verberibus, lachrymas pro dolore, odioque sui tam copiose elicuit, ut à S. Ignatio cohiberi debuerit. Subinde aquam culinæ ore hausit in leberum extinctione. Sputa in faciem ab alio projecta lætus excepit; & quia morbos mortificationi prætulit, quod plus haberent doloris, minusque amoris proprii; expertus est morbos ipsis medicis incognitos, in quibus amariores medicinas deliciosè masticabat.

*Conf. 4.* Quomodo honori renunciaverit: quia septies oblatum Cardinalatum toties rejecit. Sub pedibus Judæ habitavit: domum suam infernum pretio peccatorum comparatam dixit. Rogatusque à dæmone apparente, ut se coram eo confunderet, annuit, quod propter unicum peccatum dæmon sic cruciaretur, cum ego, inquit, tot commiserim; lætusque propterea moriebatur, quod sibi DEVS dedisset vitam humilem, & mortem actu Obedientiæ perfectam: nam à Gregorio XIII. missus ad Principes conciliandos, morbo correptus est lethali.

*Conf. 5.* Si B. Borgias ad tantam sanctitatem evehctus est mortificatione, & meditatione sæpe ad sex horas productâ, occupando se primis duabus horis in sui accusatione & despicientiâ, & quotidie sanctissimam Eucharistiam frequentando (de qua inquit S. Gertrudis

Gertr. lib. 13. cap. 70. *Impedit delicias Domini.*  
*qui à communione arcet*) eò vicinior ero in  
cœlo B. Borgia, quò minus ab ejus imita-  
tione abfuero.

MEDITATIO CCCCVI.

Die SS. Simonis & Iudæ.

*De mundi vanitate fugienda.*

**A**spiciam sanctos Apostolos re & affectu  
sublunarium contemptores, instar cœ-  
lestium Regum, illimes ab omni fœce terre-  
na. Petam eos imitari.

*Conf. 1.* Sanctos Apostolos de mundo non  
fuisse, quia mundum, & omnia, quæ in mun-  
do sunt, despiciebant, quia non secundum  
mores mundi vivebant, quia mundus eos  
persequeretur, quia Deum diligebant: ita  
interroganti Judæ Thadæo, Joann. 1. *Do-*  
*mine, quid factum est, quia manifestaturus es*  
*nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus,*  
*& dixit ei, si quis diligit me, sermonem meum*  
*servabit, & Pater meus diliget eum &c* S. Au-  
gust. hic. *Causam quærit, quare non se mundo,*  
*sed suis manifestaturus sit? Respondet autem*  
*Dominus, quia hi diligunt, illi vero non diligunt.*

*Conf. 2.* Si mundus persequitur Bonos,  
præstat mundum nôsse, quam experiri: quod  
serò est, sapere. Agnoscitur autem, si aspiciat-  
ur mûdus, quòd sit aër infectus, & nocivus,

HH fumus

fumus sulphureus, qui tumorem animi, fætores concupiscentiæ, & ardorem poenæ secum habet: quòd sit mare mortuum, ubi abyssus alta superbiæ, plena solitudinis, immunditia, cura carnis, de qua bibentes ficiunt amplius, & lippientes oculi gravius infirmantur. Mundus est domus tenebrosa pauperum æternorum; est navis, spirituum immundorum ludibrium, est Jordanis transvadandus, cum propheta, ut audiantur secreta Dei: denique ruit mundus, si ruit, quare nos migras? inquit D. August. serm. de Temp. Si tibi architectus diceret ruituram domum tuam, nõne prius migrares, quàm murmurares? Structor mundi tibi dicit, ruiturum mundum: & non credis?

Conf. 3. Hinc inferri me beatum, dum à mundo persecutionem patior: Deo enim simillimi efficimur, si in operibus habeamus perversiores, quia Christus detractores habuit, Apostoli persecutores. Quod ut obtineam, inquit S. August. supra: *Leva cor in celum, ne computrescat in terra, consilium est eius, qui te vult salvare, non perdere.* Ut quasi piscis extrahar è mari mundi, adibo escam Eucharisticam, hamum ferreum habet in escis, id est, verum Deum in carne vera, inquit

Rupert. Abbas de Divinis officijs  
lib. 4. cap. 19.

NO-

*De septem Fontibus beatitatis.*

**A**spiciam Ecclesiam triumphantem in  
coelis, & militantem in terris, utriusque  
statum inter se comparando. Petam ex hac  
transire ad illam.

*Conf. I.* Finis sermonis Domini in monte  
est, impellere ad heroicis virtutes propositis  
beatitudinibus septenis, in quarum unaqua-  
que duplex est actio; una in hac vita, quæ  
dicitur meritum, quia est laboriosa, ut patet  
per singulas discurrendo; altera in vita æter-  
na, quæ dicitur præmium, ubi erit fructus  
laborum, juxta illud S. Ambr. de S. Laurent.  
*Beatitudo hic preparari potest, possideri non po-  
test.* Beatitudines sunt operationes donorum  
Spiritus sancti. Timor Domini operatur  
paupertatem spiritus; qui enim illum habet,  
non vult magni fieri, neque in se, neque in  
alijs, sed in solo Deo, cui perfecte se subijcit.  
Pietas operatur mansuetudinem, quia au-  
fert obstacula. Scientia operatur luctum,  
quia ostendit creaturas nobis esse in tenta-  
tionem. Fortitudo operatur firmam & firmam  
justitiæ; fortis enim est animi, justitiam non  
tantum facere, sed sive. Consilium opera-

724 *Die Fidelium Defunctorum.*

tur misericordiam, est enim consilij, utilia operari ad finem. Intellectus operatur puritatem cordis, quia ad videndum Deum phantasmata debent abesse. Sapiētia operatur pacem, quia pax est tranquillitas cordis, effectus sapientiae. *Christus beatitudines omnes suo firmavit exemplo*, inquit Origenes in Luc. 19. Discurram per singulas, ad eas me adaptando, ut dignè *Pignus felicitatis* sanctissimam Eucharistiam recipiam: ita nominat eam Concilium Trident. sess. 13. cap. 2.

MEDITATIO CCCCVIII.

*Die Fidelium defunctorum.*

*De modo evadendi Purgatorium.*

**A**spiciam animas flammis Purgatorij detentas. Petam modum eas evadendi.

*Conf. 1.* Causas, ob quas Purgatorium subimus, revelatas à Domino S. Mechildi 1. Quòd non fuerimus cœlum Dei. 2. Quòd eum non sanctificaverimus. 3. Quòd ad eum venire non appetiverimus. 4. Quòd ejus voluntati nos non conformaverimus. 5. Quòd ad sacratissimam Eucharistiam nō devotè accefferimus. 6. Quòd offensi non ignoverimus ex corde 7. Quòd mudinitiem carnis & cordis non servaverimus. Remedia contra has 7. culpas esse orationem Dominicam sic orandam, ut virtutes

his



*Die Fidelium Defunctorum.* 725

his vitijs contrariae per manus Christi Domini Deo Patri offerantur: Per cujus merita culpis poena dimittatur debita.

*Conf* 2. Octo alias causas, ob quas inef-  
fabiles in Furgatorio animae patiuntur poe-  
nas. 1. Eorum, qui tantum peccata mortalia  
caverunt, reliqua omnia admiserunt liberè,  
propter oblectamenta sua. 2. Eorum, qui  
Spiritus Dei ductum sequi inceperunt, sed  
non continuarunt, unde tentationibus suc-  
cubuerunt. 3. Qui Spiritum Dei quoad ex-  
teriora secuti, non autem quoad interiora.  
4. Eorum, qui in solatio boni, in desolatione  
defecerunt. 5. Eorum, qui renunciarunt so-  
latijs, sed non spiritualibus, inordinate his  
adhærendo. 6. Qui renunciarunt solatijs spi-  
ritualibus, sed non omnibus eadem de cau-  
sa. 7. Qui renunciarunt spiritualibus solatijs  
omnibus, sed Deum propter se ipsos quasi-  
verunt. 8. Qui Deum non quasi verunt pro-  
pter se ipsos, sed id non in omnibus: quia ex  
occulto amore proprio non fuerunt a què  
parati carere donis Dei, atque habere, quin  
imò inordinato affectu ausi majora petere,  
nec virtuti, nec saluti necessaria. Omnia hæc  
sunt origines lapsum gravissimum, & in  
Furgatorio expiantur, ut revelavit Dominus  
Suloni In libello 9. rupium. Nam inordi-  
natus terrenorum, & caelestium propter se,

non propter Deum amor, idem est vitium in  
diversa materia. Remedium evitandi has  
Purgatorij causas dedit Dominus B. Magdal.  
de Pazzis, ut pura intētionē operetur omnia.

## MEDITATIO CCCCIX.

## De S. Martino.

## De Libertate Spiritūs.

**V**idebo S. Martinum paratum non mori  
pro bono suorum. Petam eum imitari.

*Conf. 1.* Quærere sanctitatem propter ser-  
vitutem Dei est bonum, sed resignare se in  
manus Dei multò meliùs; quæ res Deo tam  
est grata, ac si emplastra Passionis tempore  
Christo fuissent apposita; ita ipse Dominus  
apud S. Gertrudem lib. 3. cap. 64. Hæc  
resignatio est dulcedo aurium ejus, amēni-  
tas oculorum, honor humanitatis, delecta-  
tio divinitatis.

*Conf. 2.* Resignatio sui sita est. 1. In eo, ut  
nulli rei inhæreatur, quam Deus averfatur.  
2. Expedire se ab omni eo, unde impedia-  
tur Deus, adeoque nil retinere, quo quis  
non indiget, sed illud dare non amiciori,  
sed magis indigo. 3. Conari agnoscere be-  
neplacitum Dei, & continuo perficere; uti  
sensus mox agunt, quod vult animus. 4. Ac-  
cipere de manu Dei & prospera, eaque refer-  
re in solam gloriam Dei, nihil sibi retinen-  
do.

do. 5. Et aduersa, sive vitam arduosam, sic enim seruitur Deo proprijs imperijs, auge-  
túrque consolatio divina: sive vitam infir-  
mam, quia sponsa magis placet in conclavi  
sponso, quam in publico, & anima a grotans,  
quàm studio bonorum operum exercitata:  
sive mortem, cuius molestia excutitur ab  
animo, si eam ex Dei providentia sic ordi-  
nante cogitet accidisse, sive (quod sapienter  
intelligendum) damnationem, quod alij fo-  
rent, qui laudarent Deum. *Ibid.* l. 3. c. 12.

*Conf. 3.* Cùm resignatio sui medium sit ad  
summam perfectionem, & ad recipienda  
semper nobiliora dona Dei, atque ad eva-  
dendam omnem labem, totum me resigna-  
bo in Dei beneplacitum: quia, ut non no-  
uerunt S. Martino, nec gentiles eum sub  
arbore cadente, ut obrueretur, collocando,  
nec daemones apparendo eidem, sic nulla ten-  
tatio nocebit voluntati bene reborata in  
resignatione sui ad manus Dei. Ad quam  
à me abstractionem iuvabor sumptione sa-  
cratissimæ Eucharistiæ, quia *Christus immo-  
latus est, & Sanguine suo nos aspersit, ut na-  
scantur in nobis alæ ad volandum, sine ullo  
impedimento in aërem divinum.* Ita Iacetus  
Macharius Homil. 87.

MEDITATIO CCCCX.

Die Præsentationis B. Virginis.

HN 4 De

*De Consecratione sui DEO in  
Templum.*

**V**idebo trimulam Virginem Parentum  
religione, suâque devotione in Templo  
Domini, in Templum consecratam. Petam  
eam imitari.

*Conf. 1.* B. Virg. Templum DEI pulcher-  
rimum, altare cordis omni sanctâ cogita-  
tione, & desiderio divino exornatum, portas  
& claustra sensuum omni custodiâ custodita;  
nihilominus adhuc magis sanctificanda,  
quod ipsa futura esset Templum, Altare,  
Tabernaculum Altissimi.

*Conf. 2.* Quomodo summus Sacerdos,  
Spiritus sanctus, ad eam consecrandam de-  
scenderit; intellectum lumine Fidei & Sa-  
pientiæ, omnique virtute intellectuali ad  
Deum contemplandum pluribus oculis,  
quàm illa Prophetæ animalia, accenderit,  
inunxerit voluntatem dono sanctæ devo-  
tionis, omnique virtute morali.

*Conf. 3.* Colligendo me intra me, videbo  
& lugebo stragem, quam in me peccatum  
fecit, quia Altare cordis inanibus cogita-  
tionibus, & vanis desiderijs prophanavit,  
portas & claustra disciplinæ excussit, malas  
herbas inordinatorum desideriorum, & af-  
fectuum germinare fecit. Orabo Dominum,  
ut Templum suum emundet, ac sordes re-  
dire

dire non permittat, ut Sacrificium & Hostiam immolem, in susceptione sacratissimæ Eucharistiæ, de qua ait Glossa in Cap. 16. Exod. *Corpus Christi sicut pruina, refrigerat ardorem peccatorum.*

## MEDITATIO CCCCXI.

## Die S. Catharinæ.

*De Studio Dilectionis.*

**V**idebo S. Catharinam visibiliter in sponsam à Christo desponsatam. Petam esse de Virginibus, quæ Prudentes habuerunt oleum charitatis, legemque igneam in manibus suis.

*Conf. 1. Qui non vult habere charitatem, ex omni parte Hierusalem portas ei clausas inveniri, inquit D. Cæsarius Hom. 11. Et hæc est causa, cur quinque fatuis dicatur: Amen, nescio vos.*

*Conf. 2. Quàm multi sint in fatuorum numero, quòd vel in uno offenderint, à nunc putem omnes inferos, omnia admisisse peccata? omnia mandata transgressos? omnes conculcasse virtutes? Unius Præcepti transgressio, unius virtutis neglectus, divisit inter eos & Deum. Perire necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi traderit corpus suum, ita ut ardeat, ait S. Bernardus serm. 2. de S. Michaële.*

HH

§

Conf. 39

*Conf 3.* Si non esset decreta tanta non  
 amantibus poena: tamen adhuc nullum no-  
 bis quærendum esset amoris objectum præ-  
 ter Deum, in quo quidquid desiderabile,  
 reperiri integrè potest. Quòd si ab illo disces-  
 sero, inania, falsa, & fucata sunt omnia, lar-  
 væque deformes & odibiles; Quia verò non  
 diligentibus Deum adjecta insuper est poe-  
 na, ut loquitur D August. lib. 15. de Trinit.  
 cap. 18. *Nisi tantum impertiat cuique Spiritus  
 sanctus, ut eum DEI & proximi faciat amato-  
 rem, à sinistra nõ transfertur ad dextram: quo-  
 modo aliud agere, loqui vel cogitare potero,  
 nisi amorem? Amo te, ó supremum Bonum  
 amore complacentia, quã te traho in cor meû,  
 sicut Sol recipitur à speculo, quantum illud  
 est ejus capax. Amo amore benevolentia, quã  
 si per impossibile tibi aliquid deesset, vellem  
 non deesse, multò magis volo tibi omnem,  
 quem potero, gustum dare. Amore amicitia,  
 quã mei odio, tui amore agam, quidquid  
 egero. Amore obedientia, quã opto volun-  
 tatem tuam esse regulam omnis actûs mei.  
 Acceleranda consumationi in unum, quã ci-  
 tius eo veniam, ubi te amem ex toto corde,  
 mente, anima, viribus, virtute, spiritu, præ-  
 sertim in Eucharistia, ubi hæc est Virginum  
 specialis prærogativa. Quia in communione  
 omnibus dat Dominus osculum, Virginibus  
 post*

post osculum oris infigit osculum pectoris.  
Ita dicit Gertrudi Dominus lib. 3. cap. 17.

## MEDITATIO CCCXXII.

Die S. Andreae.

*De tribus clavibus, sex triplici causa  
crucem ferendi.*

**V**idebo D. Andream viriliter in cruce  
gaudio gaudientem. Petam eum imitari.

*Conf. 1.* Verba S. Andreae in cruce penden-  
tis, & disquiram: homo est, qui loquitur hoc,  
an non est homo, sed Angelus, aut nova ali-  
qua creatura? homo planè similis nobis pas-  
sibilis, nam passibilem esse passio ipsa testa-  
tur. Quà vicinâ letabundus exultabat un-  
de, an à te? absit; Spiritus erat, qui adjuvabat  
infirmiorem, per quem diffunditur in corde  
charitas, morte quavis fortior, quavis ejus  
amaritudine dulcior, quacunque ejus lon-  
ginitate præstantior. *Spiritus, si adesset, ad-  
juvaret infirmitatem nostram, ait S. Bernard.*  
serm. de S. Andr. Optabo hunc Spiritum  
toto corde.

*Conf. 2.* Quomodo hic Spiritus triplici  
ratione impellat ad crucem. 1. Egone, ut  
me amem, hostem Dei? 2. Egone, ut aliam  
sortem quæram? 3. Egone, ut non amem  
bonitatem infinitam? Non est explicabilis  
vis incitamentorum his verbis inclusorum.

¶ 6 ad

ad triplicem viam purgativam, illuminativam, unitivam spectantium. Quia nunquam tantam crucem perferam, quantum debeo habere odium propter levissimum lapsum, qui meretur odium, quo Deus illum odit, & quando ego ascendam ad tale odiū? Nunquam tantam perferam crucem, quantum tulit Dominus JESVS, quia nunquam elevabor ad talem personam, nec unquam in me solvetur potestas illa tenebrarum, quæ fuit soluta in Christum. Nunquam tantum diligam Deum, quantum satis est, ut Bono infinito, Domino infinito, Benefactori infinito, ego creatura undequaque defectibilis satisfaciam.

*Conf. 3. Verba sancti Ambrosij serm. 20. in Psal. 118. Quanti quotidie in occultis Martyres Christi sunt, Modus à S. Agnete datur apud S. Brigittam. Martyrij genus est delicias habere, & delitijs non uti. Non deest nobis Martyrium, modo nos non desimus martyrio. Ipsa communio crucis est ferax, ubi sæpe subtrahitur gratia devotionis, ut virtus habeat suum exercitium, nec curandum, quòd non statim sentiatur affectus: nec enim sentitur statim medicinæ effectus. Petam intelligere axioma sancti Gregorij Nazianzeni*

*Orat. 3. Mihi omnibus rebus emendus est DEVS & CRUX.*

*DE.*



## De S. Xaverio.

**A**spiciam genuinum sancti Ignatij filium  
igneum, spiritu ejus plenum, suis unice  
suadentem victoriam sui, hoc inquires tan-  
tum didici ex optimo parente nostro: si hoc  
fiat, sufficit. Petam eum imitari,

*Conf. 1.* Victoriam sui in sancto Xaverio  
respiciam *fructum amoris proprii*, id est, pec-  
catorum, quia ( ut refert P. Bartolus in Asia  
sua, fol. 432. ) à Nativitate sua, nec corpus,  
nec animam ulla foeditate unquam conta-  
minavit. Confessarij autem ejus facti sunt,  
quòd in nulla specie lubrica unquam labie  
venialis deliberatæ, eum damnare potue-  
rint. Qui etiam dormiens occurrenti speciei  
malæ usque ad venarum pectoris læsionem  
& sanguinem se opposuit. Cùmque adhuc  
Juvenis in viridi ætate persona pulcher, vultu  
amabilis, & sanguineus esset, qui humor in  
eo prædominabatur, nobilitate illustris,  
jurisque sui, nunquam adduci potuit, ut  
se alicui malè olenti crederet amicitia.

*Conf. 2.* Victoriam sui in S. Xaverio respe-  
ctu *ramorum amoris proprii*. seu passionum,  
quarum habuit ingens dominium, ex heroi-  
cis suis victorijs, dum puer Elephantiaci ore  
cessit,

terfit, dum leprosum & crustis morbidis co-  
opertum lavit, & postmodum aquam illam  
ore bibit, factaque oratione sanitati eun-  
dem leprosum restituit, subinde tota septi-  
manâ à Dominica Palmarum ad Sabbatum  
sanctum nihil bibit, nihil comedit Denique  
nemo devotissimè usque ad extremum spi-  
ritum omnia incommoda suffert, qui pas-  
siones suas non domuerit. Atqui de sancto  
Xaverio in Bulla Canon. refertur: *Contractis  
ob assiduos labores morbis gravissimis, sæpius  
nausfragium passus est, æstus, frigoris, nudita-  
tis, vigiliarum, sitis, famis incommoda de-  
votissimè sustinuit.*

*Conf. 3.* Quomodo per amorem Dei, &  
proximi radicem amoris proprii extirpave-  
rit. Quia à Deo quidem solationum satis ac-  
cepit, sed pro Deo & proximo agere, atque  
pati nunquam satis potuit, quæ sine fine  
*amplius* expetebat. Et hæc est differentia  
Naturæ, artis, & virtutis perfectæ. Illa duo  
sunt definita: quia animal non omni tem-  
pore sibi simile gignit: nec Pictor quavis  
ætate excellit, tremunt manus, hebescunt  
oculi, sed virtus, morumque perfectio im-  
mensa est, gradus infiniti, vita tota, quam-  
vis ad finem usque mundi producta, augeri  
potest Cujus metam nec ipse quidem Paulus  
attingisse se fatetur. Ad Philipp. 3. Quid ergo  
ips

*De Immaculata Conceptione.* 735

ipfi de nobis statuere debemus, qui tanto intervallo distamus ab Apostoli & Xaverij perfectione, qui postquam Chinas conversurus erat, per septentrionem redire voluit in Europam, & inibi Tartariam, terraque redux Africam, atque ita totum, quâ latè patet, orbem uni Deo subijcere. Orabo corâ Venerabili Orationem S. Francisci Xaverij.

Neque ad amandum te Domine, movet cor meum illud coelum, oblatum in præmium bene te amanti, neque ille a deo communis me movet horror, quod, qui te non amat, ei infernus fit apertus. Tu moves, ô mi Deus! mi Redemptor! quem in hac cruce video suffixum, movet me corpus adeò dilaceratum; movent clavi, sanguis, dolores; movent opprobria tua, & mors, quam pro me reo perpeffus es. His me moves DEVS meus ad tam sincerum amorem, qui integer durabit, etsi præmium cœli, & exilium inferni deficerent ex toto. Nil mihi dando habere potes amorem meum, quia nil sperando te amo, & amabo, quia es Deus meus.

MEDITATIO CCCXCIV.

*De Immaculata Conceptione.*

*De adherentia B. V. Deo.*

**A**spiciam B. Virginem sine umbra labis totam lucidam, amictam sole gratiæ. Perâ partem aliquam ejus gratiæ, *Conf.*

736 *De Immaculata Conceptione.*

*Conf. 1.* Homo, ut similis sit Deo in vita, debet juxta regulam rationis vivere, non verò sensûs, qui moribus Dei contrarius est: & quia opera Dei perfecta sunt, data est vis & virtus homini, quâ semper vivere posset juxta rationem. Hac virtute spoliati sumus per labem originale, ita, ut quod bestiis est naturale, hoc nobis sit ex poena. Et in hanc maculam, ut permittat Deus labi suam Matrem futuram? absit, quin potius gratulabor Divæ tam raram gratiam.

*Conf. 2.* Immaculatam Virginem visâ hinc omni creaturâ, inde Creatore, tergo creaturis obverso, adhæsisse Creatori super omnem altitudinem prosperitatis, super omne profundum miseræ, super omnem vim corporalem & spiritualement creatam, dixissèq; illud Ps. 72. *Mihi autem adherere Deo bonum est. Hoc totum bonum est, vultis amplius? doleo volentes!* inquit D. Augustin. in Psal. 72.

*Conf. 3.* Et dolebo commune malum perditæ gratiæ, & juris ad cœlum; gratias agam de remedio: petam per merita Christi & Immaculatæ Virginis preces, levare maculam ab universis, qui concipiuntur. Petam & me amplius emundari, dicendo: Væ cæcitati, quâ te non agnovi: væ tempori, quo te non amavi. Deinceps mihi adherere Deo bonum est. *Quid mihi est in cœlo, &c.*  
*Hunc*

Hunc affectum adhaerentiae frequentabo  
singulis Communionibus.

MEDITATIO CCCCXV.

De S. Thoma.

*Quid obsit, quidve prosit fructus  
Communionis.*

**A**spiciam D. Thomam conversum ad pe-  
des Christi, humillimè Dominum con-  
fitemem. Petam ejus fervorem imitari.

*Conf. 1.* Tria fuerunt in Thoma converso,  
humilis proprii lapsus recognitio, devota  
intentio, fidelis confidentia manifesta per  
adorationem vulnerum Christi. Conabor  
agnoscere praesentiam horum vulnerum, ex-  
pendendo, quòd ea sint, Abyssi perfectio-  
num divinarum, Altaria virtutum, Anchora  
Spei, Aqua fragrantis, dulces & amara,  
Alycaria, Balnea, Canales, Civitas refugij,  
Emporia, Favus cum melle, Fenestrae templi,  
Flores, Fodinae, Fontes, Foramina petrae,  
Fornax accensa, Foveae nivis, Gloria patien-  
tium, Hortuli, Hospitia, Incenuva martyrij,  
Lavacra, Lectuli, Libri, Linguae, Lux patens  
& abdita, Magnes cordium, Mamilla divina,  
Mare rubrum, Medicinae, Mors culpae &  
penae sensuum & concupiscentiae, Myrrha  
cum aromatibus, Naves onerariae, Nidus  
divini amoris, Nubes fecunda, Oblatio sa-  
crificij

crificij & hostiæ, Officinæ sanctitatis, Oleum balsami & unctiois Spiritûs sancti, Opus nostræ redemptionis, Ora, Paradisus & Pætria, Rosæ, Retia, Scholæ, Signacula, Solitudines, Spiracula amoris, Spongiæ peccatorû, Vasa auri, Vivaria, Vineæ, Vinum cum lacte, Umbracula, Vita spiritûs, Zelus amoris.

*Conf. 2.* His tribus virtutibus munitum hominem triplices effectus ex frequentatione sacratissimæ Eucharistiæ consequi. Ex humili propriorum defectuum agnitione redditur anima sole, nivèque mundior. Ex devota intentione adaptatur anima ad dona spiritualia, sicut cera calore solis liquata ad sigillum recipiendum. Ex fideli confidentia fit anima capax virtutum, ut terra florum accedente sole. Sicut autem, qui bis Consul fuit, majori est in honore altero, sic, qui frequentius communicat, verum non ex usu, sed debita præparatione, & gratiarum actione.

*Conf. 3.* Impediunt fructum Communionis 1. labes omnis, quæ, si per contritionem deleatur, supplet omnes defectus una Communio. 2. Os non custoditum pretiosissimum Christi mysteriorum receptaculû, agit enim cum Christo talis, ut qui hospitem lapidibus obrueret in vestibulo, vel veste duro caput benignissimum, mansuetissimum

tissimum & humanissimum obtunderet. Ita Dominus D. Brigittæ lib. 3. cap. 18. Continentes autem se ab inutili verbo & facto, triplex donum accipiunt. ibid. lib. 39. 1. delectaberis in Domino. 2. Sustollam te super altitudinem terræ, ne prævaleant nocivæ cogitationes. 3. In altera vita Filius Dei præ cæteris se communicabit fructu conversationis suæ. Petam triplicem S. Apostoli Thomæ virtutem initio consideratam, triplicemque effectum Communionis, fervorem, fruitionem, & liquefactionem, ex divinitate sumpta eo modo, quo aurum conflatur cum argento, ideoque conabor veste violaceâ humilitatis, viridi spei, aureâ caritatis ornatus accedere ad menses Domini: ruminando verba illa: Dominus meus, & Deus meus.

*Ex his Meditationibus pro Oculidiana  
Recollectione Incipientes desumere possunt*

PRO

1. Die. De Appetitione Finis ultimi. Medit. 189. De Fine Christianæ Perfectionis Medit. 1. De Causa, cur ab hoc fine aberratur. Medit. 2. De indifferentia. Medit. 5. Pro Reformatione Meditationis legendum Proloquium.

2. Die. De Malitia peccati mortalis. Medit. 190. De feccitate peccati. De abyssali  
confu-

confusione peccatoris. Ibidem. De Minis  
mortis. Medit. 337. Legenda erit Meditatio  
de Exstinctione Vitiourum. 203. De Gula  
vitio, ibidem. Et de Causis peccatorum  
mortalium. Medit. 195.

3. Die. De Minis Judicij. Medit. 338,  
De Minis Inferni. De pœnarum æternitate.  
De causis tam horribilium minarum. Ibidem  
legenda erit Med, 205. De Vitio Luxuriæ.

4. Die. De Spe Veniæ data Viatori. Me-  
dit. 193. De proposito non peccandi, & sa-  
tisfaciendi. De causis lapsuum cavendis,  
Ibidem. De inevitabili necessitate Mortifi-  
cationis. Medit. 218. Legenda erit Medi-  
tatio 206. de Vitio Avaritiæ.

5. Die. De Renunciatione sathanæ, adha-  
sione Christo. 117. De optimo vitia supe-  
randi modo. 243. De Causis Incarnationis.  
343. De Nativitate Domini Nostri. 371. Le-  
genda erit Medit. 207. De Vitio iræ.

6. Die. De Præceptis Christi audiendis &  
explendis. Meditat. 21. Deus Incarnatus.  
Exemplum Obedientiæ, 14. usque ad 20.  
De Architecto Sapiente & Stulto. 34. De  
Passione Domini. 56. Legenda erit Medit.  
208. De Vitio Invidiæ.

7. Die. De resignanda voluntate nostra  
Deo. Medit. 86. De primis 4. Verbis Christi  
in Cruce. 115. De reliquis Christi Verbis

in



in Cruce. 116. Passio nostra collata Passioni Christi nil est 117. Legenda Medit. 210. de Acedia.

8. Die De Resurrectione Domini Nostri. 119. De Gloria Beatorum in anima. 147. usque ad 154. De Gloria Beatorum in corpore. 140. usque ad 146. De Amore Dei Incipientium. 165. Legenda erit Med. 211. De Vitio inanis Gloriæ, & Vitio Superbiæ. ibid.

*Proficientibus apta erunt Meditationes sequentes.*

1. **D**ie De Cavendo errore in negotio salutis. Med. 9. De Causa cur aberremus à fine Med. 13. De secreta praxi assecurandæ salutis. Med. 3. De quærendo ubique gustu Dei. Med. 30. Relegendum erit Prologium ad reformandam Orationem mentalem, 2. Die. Qui censeantur esse in Via Purgativa, qui in illuminativa. 238. De peccatis venialibus fugiendis. 196. usque ad 202. De peccatorum venialium causis. 159. & 202. De Purgatorio. 408. Legenda erit Med. 370. de signis Profectûs, vel de Circumspectione. Discretionem. Docilitate. Prudentia. Pœnitentia. Studiositate. Taciturnitate. Timore, quomodo in his profecerim. Invenientur hæc virtutes ordine Alphabeti positæ inter Med. de Virtutibus, ut in Indice apparet initio posito. 3. Die

3. Die. De minis desolationis spiritualis, 336. De Morificatione interna. 219. usque ad 227. De Morificatione externa. 228 usque ad 237. De Differentia præceptorum Evangelij à lege veteri 222. Legendæ Med. de signis profectûs in abstinentia. Castitate. Maceratione. Modestia. Pudicitia. Puritate cordis. Sobrietate. Temperantia. Virginitate.

4. Die. De Triplici Virtutum genere in Christo D. Med. 11 & de Sanctitate D. JESU. à Med 357. usque ad 363. Dominus IESVS præest regno virtutum. 245. De Remedijs contra obices virtutum. 247. De Instrumentis virtutum. 246. Legendæ Med. de Signis profectûs in mansuetudine. Pietate. Religione. Securitate. Sîplicitate. Sollicitudine. Spe.

5. Die. De Tentationum necessitate 42. & 139. usque ad 241. De Cautelis in tentationibus. 213 & 214 De varietate Tentationû à 35. usque ad 55. De Signis eversæ Tyrannidis vitiorum 248. Legendæ Med. de Signis profectûs in Fortitudine. Magnanimitate. Fide. Fiducia.

6. Die. De Actis Christi in horto. 78. &c. De Actis Christi apud Magistratum Ecclesiasticum 98. &c. De Actis Christi apud Magistratum Politicum. 105. &c. De Actis D. Iesu in Calvario. 111. &c. De Compassione B. V. Vide Sabb. 40. Legendæ Medit: de Signis profectûs.

profectus in Humilitate. Obedientia. Obser-  
vantia. Patientia. Paeo. Veracitate.

7. Die. Spes Resurrectionis minuit sensum  
Passionis. 74. De Promissis Evangelicis. 127.  
usq; ad 137. De bonis Beatorum in altera Vie-  
ta. 133. usq; ad 139. Non datur in hac vita  
frui Deo, quanto minus Creaturis. 120. Le-  
gendæ Med. de Signis profectus Beneficen-  
tiæ. Clementiæ. Commiserationis. Grati-  
tudinis. Iustitiæ. Liberalitatis. Paupertatis.

8. Die, de Indicijs adepti regni virtutum.  
149. De alijs Indicijs. ibid. Habitandum in  
Vulneribus Christi 121. De Amore Dei Profi-  
cientium. 166. Legendæ Meditat. de Con-  
stantia. Perseverantia. Zelo. Et Communio-  
ne digne frequentanda. 28. & 188,

Magis aspirantibus ad Perfectionem  
*apta erunt Meditationes sequentes.*

I. **D**ie. Ut agnoscamus finem nostrum ex  
toro, considerandus Deus, quod sit  
*primum principium.* Med. 332. puncto 9.  
Quod sit à se. 326 p. 1. *Aeternus* ibid. p. 10.  
*Vnus* 353. p. 8. *Beatus*. 327. p. 1. *Spiritus* 334.  
p. 5. *Vita*. 335. p. 6. *Creator*. 327. p. 10. *Con-*  
*servator.* ibid. puncto 7. *Præsens*. 332. p. 8.  
*Vocans*. 335 p. 9. *Providens* 333. p. 11. *Finis*.  
328. p. 10. Legendus 9, 9. Proloquij de Ap-  
plicatione sententiarum ad Meditandum. & 9. 12.  
De impulsibus extraordinarijs in Med. & qui  
ad

ad

ad Viam Vnitivam admittantur. Med. 322.

2. Die. Ut Timor Dei Sanctus omnes alios  
Pellat ex toto, considerandus Deus, quod sit  
*Rectus*. Medit. 333. p. 5. quod sit *Odiens malū*.  
321. p. 7. quod *bene omnia fecit*. 327. p. 3. quod  
sit *Iustus* 330. p. 6. *Iudex*. ibid. p. 4. *Zelans*. 335.  
p. 10. *Vltor*. ibid. p. 7. *Terribilis*. ibid. p. 1. *Im-*  
*mutabilis*. 330. p. 2. *Legenda Medit. de Con-*  
*templatione* 325. & 400.

3. Die. Ut ad Spem veniæ ascendamus ex  
toto, considerandus Deus, quod sit *Spes* 334.  
p. 1. *Pater noster*. 331. p. 10 & 332. p. 1. *Pater*  
*futuri seculi*. Quod sit *Patiens*. ibid. p. 2. *Lon-*  
*ganimis*. 330. p. 10. *Misericors*. 331. p. 5. *Pius*.  
332. p. 4. *Susceptor*. 330. p. 7. *Adjutor*. 326. p.  
2. *Clemens*. 372. p. 6. *Iustificans*. 330. p. 5. *Pro-*  
*sector*. 332. p. 10. *Fidelis*. 328. p. 9. *Custos*. 328.  
p. 1. *Consolator*. 327. p. 9. *Redemptor* 333. p. 6.  
*Salus* ibid. p. 9. *Legendæ Tentationes Perfe-*  
*ctorum*, à Medit. 40. usque ad 55.

4. Die. Ut Spiritui Dei obediamus ex toto,  
considerandus Deus, quod sit *Gubernator*.  
329. p. 5. *Revelans profunda*. 333. p. 7. *Di-*  
*cretor Spirituum*. 328. p. 3. *Veritas*. 335. p. 3.  
*Sapiens*. 334. p. 2. *Predestinator*. 332. p. 7.  
*Legislator*. 330. p. 7. *Consiliarius*. 327. p. 8.  
*Perseverantiæ Dator*. 332. p. 6. *Artifex*.  
326. p. 9. *Firmamentum*. 329. p. 1. *Fortitudo*.  
ibid. p. 2. *Suscitator*. 334. p. 9. *Legendæ*  
*Medit.*

Medit. de discretione Spirituum à 168. usque ad 174.

5. Die. Ut mores Dei imitemur ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Virgo*. 335. p. 4. *Immortalis*. 330. p. 1. *Liber*, ibid. p. 9. *Operans*. 331. p. 9. *Virtus*. 335. p. 5. *Sanctus* 333. p. 10. *Perfectissimus*. 332. p. 5. Legenda Medit. de Bono dilectionis & devotionis. 393.

6. Die. Ad renunciandum possessionibus ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Benignus*. 327. p. 4. *Beneficus*. ibid. p. 2. *Liberalis*. 330. p. 8. *Donum*. 328. p. 6. *Dives*. ibid. p. 10. *Satians*. 334. p. 1. *Merces*. 331. p. 4. *Spiritus sanctus*. 334. p. 6. *Simplicissimus*. ibid. p. 4. *Admirabilis*. 326. p. 3. *Ineffabilis*. 329. p. 8. Legenda Medit. de Contemptu seculi. 266. & 379.

7. Die. Ad renunciandum Carni ex toto, considerandus Deus, quòd sit *Bonus* 327 p. 5. *Pulcher*. 333. p. 2. *Purus*. ibid. p. 3. *Lux*. 331. p. 1. *Quies*. 333. p. 4. *Pax*. 332. p. 3. *Amabilis*. 326. p. 6. *Amans*. ibid. p. 7. *Amor*. ibid. p. 8. *Suavis*. 334. p. 8. *Affabilis*. 326. p. 4. *Desiderabilis*. 328. p. 2. *Duicedo*. ibid. p. 7. *Incomprehensibilis*. 329. p. 7. Legenda Medit. de plenitudine odij sui. 396.

8. Die. Ad renunciandum Superbiæ ex toto considerandus Deus, quòd sit *Nobilis*. 333. p. 6. *Dominus*. 328. p. 5. *Magnificus*. 331.

p. 2. *Excellentissimus.* 328. p. 8. *Rex* 333.  
 p. 8. *Majestas.* 331. p. 3. *Omnipotens* *ibid.*  
 p. 8. *Altissimus* 325. p. 5. *Glorificator.* 329.  
 p. 4. *Gloria.* *ibid.* p. 3. *Incomparabilis.* *ibid.*  
 p. 6. *Invisibilis* 330. p. 3. *Sanctissima Trinitas.*  
 334. p. 1. *DEVS Infinitus* 329. p. 9. *Immensus.*  
*ibid.* p. 10. *Totum.* 335. p. 2. *Legenda Medit.*  
*de amore DEI Perfectorum.* 267. *Plures de*  
*Amore DEI à 252. usque ad 255. & à 287.*  
*usque ad 293.*

*Pro tridwana recollectione.*

**D**ie 1. De facili ad summam sanctitatem  
 via: *Meditat.* 384.

De eadem via. 387.

De exemplo euntis per hanc viam. 398.

De constantia in bene coeptis. 402.

*Legenda Medit.* 378. de beneficijs collatis  
 Ecclesie.

Die 2. De exuendis imperfectionibus  
*Meditat.* 264.

De operationibus ad exemplum Christi  
 perficiendis. 365.

De mundi vanitate fugienda. 406.

De tribus actionibus hominis DEO sa-  
 cris. 405.

*Legenda Medit.* 379. de beneficijs collatis  
 Religioso.

Die 3. De Sanctitate Animæ Christi. 375.

De Sanctitate appetitus Christi. 361.

De

De Sanctitate Carnis Christi. 362.

De Sanctissimo usu libertatis Christi. 363.

Legenda Medit. 381. de holocaustomate  
offerendo DEO.

*Alia Materia.*

**D**ie 1. De perfectionis possibilitate. Med. 7.

De motivo ad eam maximo. 8.

De modo agnoscendi, quòd utar hoc  
motivo. 9.

De septē excitatorijs ad perfectionem. 10.

Legenda Medit. 410. de consecratione  
sui DEO in templum.

Die 2. De ordinanda potentia concupis-  
cibili. Medit. 23.

De ordinanda potentia irascibili. 24.

De ordinanda potentia rationali circa  
gloriam. 25.

De ordinanda potentia rationali circa  
juramenta. 26.

Legenda Med. 409. de libertate spiritūs.

Die 3. Vita Religiosa Martyriū. Med. 376.

De paupertate. 298.

De triplici p̄sidio servādæ puritatis. 373.

De Obedientia. 294.

Legenda Medit. 412. de tribus cau-  
sis ferendæ crucis.

*Omnia ad majorem DEI  
Gloriam.*